6
20-b
81

6
17 D
50

Ex Bibliotheca
PP. Coll. Rom.
Societ. Jesu
20-h-52

6-20-6-81

Digitized by Google


MORORUM

LIBRI III.

CARMINUM

LIBER.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA EMANUELE



VERONAE CIƆIƆCCLXVIIII.

Apud Haeredem Auguſtini Carattoni Typographum Seminarii;
Superiorum Auctoritate.

Digitized by Google

Digitized by Google



Fran. Lorenzi del. *Dom. Lorenzi sculp.*

SERENISSIMO

MAXIMILIANO JOSEPHO

BOJARIÆ DUCI, S. R. I. ELECTORI &c. &c. &c.

ALOYSIUS COMES DE MINISCALCHI
PATRICIUS VERONENSIS.

UT primum in Boicam Scientiarum Academiam cooptatus fui, ne inter tot ſapientes, et celebres Socios otioſus penitus, ac inutilis viderer, hoſce Georgicos li-

 bel-

Digitized by Google

bellos lucubrandos ſuſcepi, et eoſdem, ut Tibi, Optime Princeps, inſcriberem, minime dubitavi. Mihi etenim clare compertum eſt, praecipuam Te dignitatem Tuam non conſtituiſſe in Principatus faſtigio, ſed in virtute; nam alterum cuidam Generis neceſſitati, alteram Tibi uni debere procul dubio ſentis. Summo ſtudio inter regias vero ſollicitudines optimis diſciplinis addictus Academiam, quaſi omnium diſciplinarum domicilium magnifico opere exornaſti, et nihil a Te in illa praetermiſſum eſt, quod ad pacis, bellique, artes pertineat. Idcirco graviora ſtudia revocare, viroſque ſcientiis operam dantes erigere, ac fovere non deſinis. Cum autem Mororum cultum, quem hiſce libellis, praecipue complectimur, Tuis quoque in regionibus tuearis, legibuſque promoveas, non ne hunc laborem meum Tibi dicare, et aequo, libentique animo a Te ſuſceptum iri ſperare debueram? Hanc meam fiduciam auctam, et confirmatam, meque multo magis Tibi devinctum ſenſi, cum Academiam Philarmonicam Nomine auguſto, atque aedes noſtras Effigie Tua illuſtrare voluiſti, immo etiam nobis Philarmoni-

monicis Symphonias a Te mirifica arte lucubratas inſcribi paſſus es, ut nos incomparabili muneris honore exornati ſummae virtutis, & ſingularis clementiae, ac humanitatis Tuae monumentum ſeris etiam nepotibus mandare poſſimus. Quae de Te pauca dixi, quis, & quantus Princeps ſis, et qualem mihi Maecenatem propoſuerim ſatis demonſtrant. Auguſtum praeterco Parentem Tuum inſigne Regum decus, totiuſque Germaniae deſiderium, nec non Lodovicum Caesarem, Maximilianos, Albertos, clariſſimoſque alios Proavos Tuos. Cui etenim non noti? Monumenta a vetuſtioribus ad recentiora longo ordine, et frequenti illos commendant. Magna re vera haec ſunt: ſed cum omnia, quae ad Magnanimum, quae ad Optimum Principem ſpectant Tu mirifice amplectaris, Majorum Tuorum virtutibus haereditario quodam jure tam clare effulges, ut, ſi laudibus Te cumulare vellem, ad ſilvam ferre ligna viderer. Si vero non pro operis pretio, ſed pro humanitate Tua meum qualecumque opus volvere dignaberis, id non inutile futurum confido. Tu etenim laborem, quam-

vis

vis tenuem, non deſpiciens, ingeniumque meum erigens Socios ſcientiis operam navantes ad majora tentanda ita excitabis, ut a Te propoſitum Boica Academia, et quidem non exiguum, adipiſcatur incrementum. Hac loquendi Tecum ratione uti non vereor, cum me non lateat, Te ſcire, publicam felicitatem ſitam eſſe in colendis ſcientiis, diſciplinisque amplificandis, et tamdiu illas augeri, quamdiu eas favore Principes proſequuntur. Hunc interim librum honori Tuo profeſſione obſervantiae deſtinatum, ſi non laudandum, ſaltem a Te, Optime Princeps, non repudiandum ſpero, ſi in mentem revocaveris, quod olim concivis meus Plinius Tito Veſpaſiano dixit; *Ruſtici et diis lacte, multaeque gentes ſupplicant, et mola tantum ſalſa litant, qui non habent thura, nec ulli fuit vitio Deos colere quoquomodo poſſet*. Cum vero curis, quas publico bono diutiſſime impendis, mihi tandem parcendum ſit, maturare, quod mihi propoſui, feſtino: Tibi opuſculum commendo, rectoque judicio Tuo probandum, et favori tuendum exhibeo, quod ſi obtinuero, nunquam aliorum judicium verebor.

Bea-

Beatus ille, qui procul negotiis,
Ut priſca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet ſuis.

Horat. Lib. Epo. Ode II.

NOI

Digitized by Google

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del Pubblico Reviſor *D. Natal dalle Laſte* nel Libro intitolato *Mororum Libri tres & Carminum liber Aloyſii Comitis de Miniſcalchi &c. Mſ.* non v' eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza agl' *Eredi Carattoni* Stampatori *di Verona*, che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 12. Settembre 1768.

{ Sebaſtian Juſtinian Rif.

{ Alviſe Vallareſſo Rif.

{ Franceſco Moroſini II.° Cav. Proc. Rif.

Regiſtrato in Libro a Carte 358 al Num. 2545.

Davidde Marcheſini Seg.

L I.



LIBER I.

QUae cura agricolis, viridi quis cultus habendae
Sit Moro, ut ſatur expediat ſua munera bombyx,
Munera, quae ubertim dominos, ditantque colonos,
Nunc patrii dicam ruris correptus amore.
Mollia tu mihi, Muſa, refer plantaria primum,
Quae teneras mittant matrum de corpore virgas,
Ut preſſae per agros, eductae falce, et aratro
Aſſurgant: facili mecum dic carmine Morum,
Donec adulta novam referat bombycibus eſcam.
Morborum cauſas memora, plantaſque ſerendas,

Moreſque, unde arbos creſcat, quo ſidere frondes,
Ingenteſque ſimul ramos, fructuſque tumentes
Germinet. Hinc Latio veniet nova gloria vati,
Dum induet aeternos Morus Thysbaeïa honores.
Benaci Nymphae, atque Atheſis, Dryadeſque feracis
Ruris, adeſte alacres, vireſque augete labori,
Quem nondum tentatum aliis nunc ordior audax.
Arvorum Cybele cultrix, operumque magiſtra,
Docta Minerva, precor, campeſtribus adnue coeptis,
Sericidaeque, ſimul noſtris adſueſcite votis.
Vos quoque virgineam Meliae mutare figuram
Juſſae, fraxineoſque in ramos vertere corpus
Dicturo Moros, fauſto mihi numine adeſte.
O et praeſidium noſtrae immortale Camoenae,
Bojariae, Europaeque decus, Clariſſime Princeps,
Quas modo tractabo non aſpernare Camoenas.
Frugifero in campo, ſi adſit mihi dexter Apollo,
Nunc Tibi de Moris primus viridiſſima tempe
Frondiferis ponam, qua undis praeterfluit Iſter
Regius irriguis, rapido qua flumine currit.

In medio mihi numen eris, campumque ſacrabis.
Frondibus ipſe egomet redimitus tempora Mori
Arguto ſiſtro, aut tenui conſpectus avena
Dona feram induſtri bombycum operata labore.
Inſcribam foribus ſolemni carmine laudes
Bojaridum, &, virides palmas victricibus armis
Praemia digna. Inter praeclara trophoea ſuperbum
Hic Iſtrum effingam, Rhenum, glaucumque Viſurgim,
Qui Proavis auxere tuis memorabile nomen,
Hic Thraces addam fractos, urbeſque ſubactas,
Auguſtas lauros, et regia ſceptra locabo,
Caeſareaſque Aquilas, quas inter creſcere Gentem
Fata dedere tuam, nomenque extendere ad aſtra,
Auguror, atque aderunt precibus pia numina noſtris,
Nomina diſponam haeredum virtutis avitae,
Quaeve Tuae Genti felicia fata reſervant,
Et quodcumque cupit plenis Germania votis.
Interea faciles noſtris da verſibus aures,
Dum canere incipio teneras ab origine Moros.
Silveſtres Moros veteres novere parentes,

Attamen illarum virtus occulta peribat.
(Lanivomos nondum bombyces India nobis
Miſerat) arbor enim pallentia mora ferebat;
Sed miſerae ut vidit Thysbes lacrimabile fatum
Pyrami et interitum infelicis, et hauſit amantium,
Proh pietas! totum ſumma a radice cruorem,
Purpureus ſubito fibras tunc alluit humor;
Atque arbor penitus patrios oblita colores
Sanguineo pinxit ſucco creſcentia mora,
(Vix equidem mihi credo) et dedignata vetuſtum
Ipſa arbor nomen gelidae tunc nomine Thysbes
Gaviſa eſt, unde agricolis Thysbaea vocatur.
Italiam imperio Gothorum Theja premebat.
Barbarici mores, crudelia jura, cruentus
Hinc furor, & vani ritus, atque arma furebant,
Unde incompta comas, moerenti ſquallida vultu,
Atque diu fatis oppreſſa jacebat iniquis.
Inſtantis rabies Narſetis, & arma, rapaces
Et turmae jamjam ſuperantes Norica luſtra
Vaſtatum Italiae veniebant nobile regnum.

Argo-

Digitized by Google

Argolici immites, Longobardi, Gepidique,
Atque Eruli, & rabidi Perſae nova vincla parabant.
Talia ſollicito volvens animo, obruta fletu
Infando, pectuſque gravi perculſa dolore
Heſperia in faciem cecidit, qua regius undis
Inſubriae Eridanus pingues praeterfluit oras.
Tunc motus pietate imis pater extulit undis
Caeruleus frontem, cupiduſque levare dolorem
Narravit miſerae, quae abſcondita fata premebant.
O belli nimium duris defuncta periclis,
Te fauſti coelo ſuperi ad meliora reſervant;
Sed te multa manent: nondum fortuna revolvit
Adverſas ſortes. Gothorum jura rapaces
In Graecos primum cedent; horum arma feroces
In Longobardos. Illorum hinc omine iniquo
Tu Regem excipies primum, qui vulnere caeſus
Sanguine te ſparget turpi: hinc patiere ſequentum
Flebile ſervitium: at tandem tibi Gallia Regem
Egregium adducet pariter pietate, vel armis.
Hic Pipinus erit generoſo ſanguine cretus,

Qui leges ſtatuet, moreſque docebit, & artes
Ingenuas: hic ſanctae Religionis honorem
Labentem, et templa exoſis vaſtata rapinis
Inſtaurabit: opes ſimul, et veneranda dicabit
Templa Deo, et turres altas, quas ſera nepotum
Progenies laeta in longum mirabitur aevum.
Ille Aquilas Romanas dudum hoſtilibus armis
Italia ejectas referet, queis praeerit armis
Bojaridum Soboles, qua non generoſior ulla.
Francorum obruet imperium Germanicus Otho
Caeſareas revehens lauros, Oenotria regna,
Quae longa ditione regent: ſed marte cruento
Urbes Auſoniae fractae, populique furore
Barbarico oppreſſi pro libertate triumphis
Deſuetas dudum turmas in bella vocabunt,
Numina ſi ſaveant, olim & tu libera cives
Educes fortes patriis fruitura parumper
Legibus: at veſana iras diſcordia verſans
Italicas vires in patria viſcera vertet.
Quot fluctus volvam civili ſanguine rorans!

Tot caſus inter Martis, ſtrageſque tot inter
Adriaco Veneti ſurgent de littore Patres,
In crudos hoſtes laturi altricia ſigna.
Romanum robur, virtuſque hos fida ſequetur,
Unde hederae clarorum debita praemia vatum,
Palladiaeque artes florebunt: alma redibit
Pax, et Religio, pietas, legumque verenda
Vis, Saturnique adducet tibi ſaecula, ſolem
Dum referent anni, pleno dum flumine curram,
Supplicio mulctare malos, et munere doctos
Erigere, et tandem mundo aurea reddere ſaecla,
Urbibus, et populis mites imponere leges,
Invictiſque armis hoſtes ſuperare ſuperbos,
Et ſervare fidem ſocio, et ſuccurrere amicis,
Patriae erunt illis artes. De littore Eoo
Aethiopes tandem bombycum ſemina Nymphae
Vectabunt, opibuſque novis tibi reſtituent rem.
Sic ait Eridanus, ſeque altis merſit in undis.
Se extulit Italia, et palmas ad ſidera tendens
Sollicitis precibus tunc numina ſancta rogavit,

Talibus auguriis ut fauſtis auribus adſint:
Nec vanae rediere preces, nec vota precantis.
Turgidus interea Mavors ſine more furebat,
Et Totilam Narſes armis urgebat, et igne,
Italicaeque urbes bellis crudelibus actae,
Oppreſſi populi trepidabant; flumina, et alpes.
At Deus Heſperiae crudelia fata miſertus
Ex Indis tandem coeleſtia dona parabat.
Unanimes ſiquidem bombycum ſemina Nymphae
Impoſuere rati, quam conſcendere venuſtae,
Et Seras, patrioſque ſimul liquere penates.
Erexere citi malum, cui plena dedere
Lintea nautae, auraque levi tumefacta volabant:
Undaque proſiliebat circum preſſa natanti
Navigio, et celeri crepitabat fracta carina.
Interea auriferas Gangis cava tranſnatat undas
Navis, et attingit Borneum, Sumatramque relinquit,
Abruptiſque legit Sundae freta conſita ſaxis,
Et nemus omne fugit nautas, monteſque recedunt.
Jam tenet Oceanum puppis tumido aequore vecta;

Prora

Prora agitur rapido curſu, ſtridentque rudentes
Pondere ventorum. Volitant noctuque, dieque
Sericidae. Novies ut Luna peregerat orbem
Omnibus apparet tandem procul Africa tellus.
Gurgite jactatis ſtatio tutiſſima nautis
Spes bona nautarum (hoc dixerunt nomine patres)
Se capite extollit nemoroſo, aperitque virentes
Oras, vitiferaſque plagas. Conſurgere remis
Adnixi hortantur ſocii, et clamore vocare
Optatam incipiunt terram, portumque patentem
Ingreditur puppis. Diuturno errore viarum
Feſſae exjere Deae, et laeta tellure potitae
Inſtaurant vires. Epulis, lymphaque recenti
Navem onerant comites, et dulcia vina reponunt,
Quae ſacris preſſit manibus pater ipſe Lyaeus.
Poſt ubi diſſolvunt tuto retinacula portu
Littore diripiunt funes, et carbaſa ponto
Reſtituunt, calidaſque ratis praetervolat oras;
Deſerit et Congum: at nautis calidiſſimus orbis
Impendet, quorum ſupra caput aſtitit ardor;

Zona etenim medio ferveſcit torrida coelo.
Languentem circum turmam calor occupat ingens,
Immenſoque mari late immota unda quieſcit.
Incumbunt cuncti remis, et caerula verrunt:
Praetereunt tandem ferventia ſidera. Laſſis
Denique conſurgit nautis Guinaea, virenſque
Arboribus portus, flavoque Canaria baccho
Conſpicitur dives; dilecta Madera Lyaeo
Exhibuit vinum nautis, carneſque recentes,
Et panem, et nitidis hauſtas de fontibus undas.
Herculeas ſubeunt poſtes, ignotaque priſcis
Sericides intrant gaudentes limina, ovantes.
Et ſocii ſuperant Balearica littora tandem,
Sardiniaeque ferax littus, littuſque Sicanum.
Poſt varios cœli caſus, pelagique procellas
Tunc Deus, ipſe Deus Zephyris afflavit amicis,
Et ratis Adriaco vehitur levis aequore. Amoenas
Sericidae luſtrant oras, urbeſque marinas,
Dein venere Atheſis felicia ad oſtia. Pinguem
Hinc contra terram pendentes carbaſa torta

Dedu-

Deduxere viri, illiſque alta nave repoſtis
Aptarunt malum: longos legere rudentes,
Remiſque adnixi proram traxere tenaces
Mittentes pelago dentes, puppemque ligarunt,
Aethiopeſque Deae curva potiuntur arena.
Tunc herboſa ſimul tenuere ſedilia Nymphae
Optata demum laxantes membra quiete.
At Genii, Auſonias qui urbes, campoſque tuentur,
Inceſſumque gravem mirati, habitumque Dearum
Certatim occurrunt laeti, Nymphaſque, ratemque
Hoſpitio excipiunt: ſructus, quaeque Itala tellus
Producit dono tribuunt. Perquirere cuncti
Certabant, unde et veniat, quove acta carina
Tendat iter, quodnam ſidus, quae patria Divis.
Tum vero ante alias, praeſtantior ore loquuta eſt.
Aethiopas, Indoſque feros, Arabaſque peroſae
Fraudibus addictos populos, gentemque rapacem
Liquimus, et Serae patrias abdiximus oras:
Semina bombycum abducentes munera noſtra
Fugimus agricolas vili torpore jacentes,

Caſibus et variis functae poſt mille pericla
Et coeli, et pelagi his poſtremum adlabimur oris,
Optamuſque novas ſedes, melioraque nobis
Sidera: ſed Genii excipiunt his plura volentem
Profari verbis. Nymphas ſalvete beatae.
Priſca Urbs, nec veſtris fortaſſe incognita faſtis,
Notaque Romanis, Thuſciſque annalibus amplo
Gaudet agro Verona, Atheſis quam vortice curvo
Alluit: hanc regionem alacer, patienſque laborum
Accolit agricola, ingenio civeſque ſagaces
Artibus ingenuis florent; mitiſſimus aer
Hic valles humiles ſimul, et juga plurima mulcet;
Hic vobis ſedes apta, hic bombycibus aer
Dulcis. Cui Nymphae tum ſic. Uno ore fatemur
Talia non audiſſe modo ſine numine Divum,
Quapropter monitae felicia fata ſequamur,
Voſque omnes comiteſque viae, ſocioſque precamur.
Interea nautae educunt de littore puppim,
Quam Geniique, Deaeque ſimul laeto omine ſcandunt.
Certatim malis jaciunt retinacula ab altis,

Atque illis robuſta Boum modo colla ligarunt,
Unde ratis curvo trahitur de littore pigra,
Jugiter adverſo cui decurſu unda reſiſtit.
Jamque caſas fugiunt conſtructas carice vili,
Quas poſthac Venetorum elata potentia coelo
Aequavit, fluidaſque induſtri cum arte paludes
Perdomuit primum, illaſque ignota lege coegit,
His ſuper imponens ingentia ſaxa, ſuperba
Unde theatra peregrino de marmore ſurgunt,
Candenteſque auro turres, et templa, Quiritum
Regales ſumptus, formam ſimulantia, et artem,
Quid non vicit amor recti, et concordia Patrum?
Unde tot, et tantis operum ſuperata miraclis
Natura obſtupuit, ſeque altis merſit in undis.
Mox Silvae Laurorum apparent, inde ſalicta,
Populeumque nemus praetexens frondibus amnem,
Umbriferae et Platani ferientes vertice coelum.
Interea Nymphae confertas undique ripas
Arboribus luſtrant, elatas turribus arces
Nautae praetereunt, aedes, et amoena vireta,

Fon-

Digitized by Google

Fonteſque irriguos, At noſtros denique Nymphae
Devenere locos, puppiſque his conſtitit oris.
Nec mora. Deſiluere Deae, Geniique ſequaces
De prora ſua dona tibi, Verona, ferentes
Semina Bombycum, quos educat Indica Morus
Sponte ſua, occultumque diu docuere ſaporem
Arboris, et ſuccum frondis, quo pabula guſtet
Gens nova bombycum flavum expletura laborem
Sericei, Italia unde ferax diteſceret auro.
Neglectas olim omnino, ſpretaſque coloni
Circum avidi Moros exquirunt quaque per arva.
Collegere novos fructus vitale daturos
Semen, quo felix arbos aſſurgat in auras,
Semen et ignotum laeti ſparſere per agros
Exiles plantas viſuri ſero nepotes.
Pan vero capripes, cultis qui praeſidet arvis,
Comperit et terrae naturam, pondus et aurae,
Sudorem vanum, et curas miſeratus inanes
Agricolas docuit Moris decerpere tortas
Radices, rectoque illas ſubſternere ſulco,

Cer-

Digitized by Google

Cernimus unde ſolo faciles frondeſcere plantas,
Quae de virgultis citius, quam e ſemine ſurgunt.
Sunt tamen antiquo, qui mora tumentia fune
Terque, quaterque fricant, donec ſe ſemina poris
Inſinuent tumidis: gravidum tellure recondunt
Inde levi funem expectantes denique frondes,
Quae tarde veniunt. Hoc attamen experiendum his,
Quos juvat incertos naturae diſcere ludos,
Agricolis male conveniunt nam talia noſtris.
Si ſucco verum corrupto morbida Morus,
Quandoque exturbata ſolum vitiaverit, illi
Tu male ſufficies Mororum e corpore virgas
Si elicias: melius puro de ſemine natum
Virgultum, etſi foedatis, adoleſcere cernes
De foveis, illius namque ſalubrior humor
Crudae emendabit vitium telluris acerbum.
Providus haud tamen omnino aſpernabere curam
Mororum, foecundo quae de ſemine ſurgunt.
Arbore de ingenti foecundum ſemen habebis,
Induſtri collecta manu ſi mitia mora

Sole ſub aeſtivo exponas, cum torridus orbis
Ferveſcit, donec ſucco exſiccata tenaci
Areſcant. Leviter digitis illa inde fricando
Deglubes facile tenuiſſima ſemina, humoque
Demittes pingui. Aſſurgent virgulta puſilla,
Molleſque emittent tenero de corpore frondes,
Quas vix aſpicies culto pubeſcere in horto
Depones inter plantaria, donec aperto
Sint credenda ſolo. Telluri impendite curam,
Arva parate animis, et ſpe praeſumite fructum.
Vomere ſi agricolae curvo tractabitis agrum,
Silveſter quamvis fuerit, manſueſcere diſcet,
Mororumque altas frondes alet ubere pleno.
Terra, fretumque immenſum, quod ſere continet orbis,
Jam ſatis arma trucis late nutantia Martis
Suſtinuit, tandemque reduxit ad arva colonos
Laeta Ceres, mutavitque enſes vomere crudos.
At te juris amor patrii, quo ſaecla beata
Bojaridae ducunt, Themis ſanctiſſima, Legum
Unde vigor, Pallas, qua ſlorent alta virorum

Inge-

Ingenia, et virtutis amor, pax denique firma
Venturas Te inter bellorum ſoſpitet iras.
Poſthabito Martis ſtudio almas inter olivas,
Et virides inter lauros Thymbraeus Apollo
Magnanimo Auguſto vatum ſacra dona dicabat,
Dum Roma alta fuit: noſtras Deus ipſe Camoenas
Nunc Tibi ſacrabit: facilis mea ſuſcipe dona,
Parva etenim ſunt dona, Tuis tamen apta colonis:
Tu ſiquidem inſtituis populos educere Moros,
Vindelicoſque agros alieno munere ditas,
Argentoque ad opus gentes compellis, & auro,
Laetior unde fluit peregrinis frondibus Iſter.
Ipſe ego carminibus Mororum jura, modoſque
Complectens curae fortaſſe novae utile coeptum.
Exequar agricolis cythara cantare paratus
Primi magnum operis pretium, fructumque laboris.
Quae teneris primum ſedes ſit idonea Moris
Quaerendum. Coeli poſthac praediſcite morem
Cultores, habitumque loci, terraeque vigorem:
Quam patiatur humus curam, quamve illa recuſet

 Inſpi-

Digitized by Google

Inſpicite induſtres . Cunctarum peſſima, glaucae
Qua creſcunt Salices, Platanique graves, ſilvaeque
Populeae: ſatis apta foret, quae ad ſidera Quercus
Educit patulas, Ulmoſque, ſed aptior illa,
Quae Vites patri generoſo addicta Lyaeo
Foecundas faciat: Nymphas amat ipſe Lyaeus
Sericidas, Moriſque lubet, quod Vitibus aptum eſt,
Idcirco plantis opportunum elige campum.
Ut nimboſae Hyades primum coelo humida nobis
Solſtitia autumni referent diſpone colendam
Tellurem: quoquoverſus hanc dimove aratro,
Et recto produc, tranſverſoque ordine ſulcos.
Hirſutas valido ſentes avelle ligone,
Silveſtreſque herbas, dentatoque hurpice totum
Occabis campum, ſcrobibus quem divide poſthac
Alternis, coenoque illos ſaturabis opimo.
Haec ubi, brumalis Boreae penetrabile frigus
Digeſtam mulcebit humum, nocteſque rigenti
Algentes bruma arctabunt, pluviaeque reſolvent.
Vix aries tepidas cornu diverberat auras,

Digitized by Google

Et magis expanſo circum Sol volvitur orbe,
Eja age ſollicitus mordaci inverte ligone
Tellurem, raſtriſque herbam inſectare malignam.
Sparge fimum manibus plenis, glebaſque reſolve
Informes: confringe ſolum, nec parce labori,
Donec humus ſimilis cineri ſit pulverulentae,
Ac molles veluti anemones, violaeque ſerendae,
Narciſſique forent. Gravidis ſit matribus, oro,
Terra levis, prolem ne ingrato pondere gleba
Obruat. Expedies primum tua jugera: cultam
Complanabis humum, quam ſparges ſtercore craſſo,
Funditus ut pingui ſucco electum excoquat agrum.
Directos ſcrobibus ſulcos hinc divide apertis,
Quos pinguique fimo largus, putrique viarum
Pulvere perfundes. Cum vero nubibus imbres
Proſiliunt tepidi, & mulcentes leniter auras
Aſpirant Zephyri, & tellus genitalia poſcit
Semina, de nitida radices elice Moro,
Quas coges in foveas, multoque labore fovebis.
Caudicibus ſectis tellus verſanda ligone eſt.

Inſta operi: has ſcrobibus foſſis depone; ſecundam
Tres ulnae a prima ſejungant: regula paſſim
Una ſit haec, eademque tibi menſura ſequentum,
Et pariter porcas, pariterque metabere campum.
In tumulos poſthac directos erige ſulcum,
Obruat ut tellus elato culmine ſtirpes,
Spemque renaſcentem foveat, coeptumque laborem.
Quantumvis opus ingemina ſimili ordine: plures
Si fuerint matres, natos a ſtipite plures
Educes: ſed coeptae indulge regulae in unguem,
Ut tibi Mororum citius plantaria creſcant.
Cultum ubicumque locum vallabis ſepibus altis.
Agreſtes tribulos, hirſutos congere vepres,
Providus unde tuum circum, tuearis agellum:
Sic genus omne boum arcebis, pecudeſque tenebis,
Ne teneras frondes diſcerpant dente rapaci.
Namque venenato veluti mucrone lacertum
Si humanum peteres, foret inſanabile vulnus,
Naturaeque, herbiſque ſimul ſpes nulla maneret,
Quippe artus ſenſim virus triſte occupat omnes;

Haud aliter pecudum indigno morſu lacerata
Germina Mororum languent, et protinus humor
Funditur internas infectus ad uſque medullas,
Unde jacent paſſim viduum infoecunda per agrum.
Quae ſiccam nutrit terram, quae temperat imbres
Cunctarum dives rerum natura creatrix
Aſſidue adſit amica tibi, faveatque labori,
Dîque, Deaeque juvent orituras omine Moros
Propitio, & glaciem avertant, triſtemque pruinam.
Nympharum, Dryadumque chorus permulceat auras,
Et Zephyros moveat, pluviaſque per aethera lenes.
Vermiculos cohibete malos, tineaſque doloſas
Vos quoque capripedes Fauni: gens lurida, cultis
Gens inimica agris, duris inviſa colonis
Peſte gravi foedat campos, et devorat imas
Radices, perditque orientia germina morſu.
Tende manus ſupplex, doniſque precare feraces
Et Nymphas, fauſto ut ſervent tibi numine plantas.
Jamque celer Taurum conſcendit Apollo micantem,
Et rapido curſu mites praetervolat auras,

Et quaecumque ſuum ad munus genitalia poſcit
Semina telluris. Surgunt de palmite gemmae,
Foecundaque novi vireſcunt arbore flores,
Matribus hinc teneris primam pubeſcere prolem,
Et raptim terra cernes aſſurgere germen.
Hic ſudor, labor hic ingens, hic ſedula cura.
Haud mora: cum ſubito Thysbeïa pullulat arbos,
Naſcentes intra frondes circumfode parvas
Sollicitus caveas, terra ut rimoſa cadentes
Ebibat intus aquas, humoremque ingerat imis
Stirpibus, atque animos plantae a radice bibaci
Extollant. Herbas edet ſine ſemine natas
Pingue ſolum; Loliumque nocens, agreſte Papaver,
Verbaſcum, Cythiuſque gravis, Calaminthaque amara,
Malvaque cum Tribulis, Urtica, et peſſima Lappa,
Et gramen creſcet meliori uligine paſtum:
Nata recens arbos tot cederet hoſtibus acta:
Idcirco marram exerce, manibuſque nocentes
Sollicitus divelle hoſtes. Nova ſidera Titan
Interea intrabit Geminos. De ſtipite matres

Digitized by Google

Jam fruticant paſſim: ſurgit jam vivida proles,
Quae a radice nemus creſcenti germinat ingens,
Oſtentatque operis pretium, fructumque laboris.
Qualiter elatus fornacis culmine fumus
Apparet primum tenuis, mox vortice in auras
Increſcit duplici, triplicique augetur eundo,
Sic itidem denſas cernes adoleſcere frondes:
Quapropter nimio natorum pondere feſſae
Debita radices illis alimenta negabunt,
Quos medio paſſim aſpicies langueſcere campo
Elige de ramis octo, diſcerpe minores
Matribus e cunctis: proli ſic ubera abunde
Sufficient illam meliori humore fovendo:
Dum Cancer, caliduſque Leo ferventibus urget
Mortales auris, tenueſque per aera nubes
Congerit, a ſicca unde acres tellure vapores
Tolluntur, tenueſque ſimul glomerantur, et inde
Praecipitant cruda concreti grandine nimbi,
Qui ſegetes populantur, agros, curaſque colonum;
Tunc validis ſuperos votis, precibuſque movere

Eſt opus, ut, rabidae repreſſa grandinis ira,
Foecundo plantas humectent imbre tenellas,
Quae veluti a molli pendentes ubere matrum
Nati aetatem praevenient, annoſque tumentes.
Succedent alii abraſis a ſtipite ramis;
Attamen electos vigilans ſerva, amputa ineptos.
Eminus hinc illos cernes educere frontem.
Quae ſeſe trudunt medio de cortice frondes
Nunquam luxuriare ſinas; ſed ſaepe magiſtro
Pollice carpendae: Falcem prohibebis aduncam;
Lactea dum Morus tenero de cortice frondes
Emittit primas, formidat ferrea falcis
Vulnera. Cum referet quadrigam Virgo diurnam,
Utere mox raſtris, validoque incumbe ligoni:
Verte cito glebas, extirpa funditus herbas;
Crinibus ut coelo flavis Aurora refulgens
Alma parens lucis nocturno ex aethere lentas
Molliter aſpergat radices rore feraci.
Humida cum noctes aequabit Libra diebus
Paulatim languens natura, annuſque ſeneſcet,

Et plantis deerit ſenſim vegetabilis humor;
Languidus humor enim illas, aegraque vita fovebit.
Tunc tibi nulla quies: glebas, agrumque fatiga,
Finde iterum ſulcos ſtirpes prope virgultorum,
Quas coeno, tenuique fimo ſaturare memento.
Effoſſis ſcrobibus dextris hinc, inde ſiniſtris
In tumulum tellus conſurgat, et incubet altis
Matribus. Interea brumali Scorpius aſtro,
Arcitenenſque furens Ulmis, et Vitibus omne
Decutiet folium. Caper, et gravis Amphora noctes
Producens rigidas, glaciem, duramque pruinam,
Algenteſque nives, hyememque Aquilone vocabit.
Putre lutum vero tellurem frigore duram
Mulcebit ſimul, et radices inde fovebit.
Ac veluti navis jactata per aequora ab Auſtris
Ingreditur portum: feſſus fluitantia vela
Deducit nauta, et funes componit in orbem,
Egreſſique viri exoptato littore gaudent,
Aequoreoſque canunt errores carmine dulci,
Tranquilloſque dies ducunt, atque otia carpunt

Dudum expectata laxantes membra quiete,
Dum Zephyri rurſum ſpirantes vela repoſcant;
Haud aliter raſtrum, marram, curvamque repone
Falcem. Declinans glacialem frigoris iram,
Caſtaneas fumanti agitatas igne camini
Divide cum natis laetus, cum conjuge cara:
Utere concreto lacte, utere melle repoſto,
Et veteri praebe ſpumantia pocula baccho.
Non exi e laribus, tepidos nec linque penates:
Sic Boreae rabiem poteris, ventoſque minaces
Fallere, et ad multam ſomnum producere noctem;
Quin etiam levibus terram pulſare choreis
Fas erit, et voces perculſo reddere ſiſtro
Auditas, pueroſque iterum recreare Lyaeo.
Dum vero Piſces hyemalem ex aethere curſum
Abſolvunt, notis compone manubria raſtris,
Runconem exacue, ſcabra rubigine marram
Providus abſterge, poſitumque reſume ligonem.
Jamque anguis mites auras, Soliſque teporem
Nudatus veteri liventia tergora pelle,

Delibans

Delibans primus caveis, luſtriſque relictis
Teſtatur reduces veris redeuntis honores.
Tunc opus eſt aurae inverſas oſtendere glebas,
Saevitieque hyemis maceratum vertere campum.
Telluris primum faſtigia ſumma ligone
Aequabis ſulco: coenum confunde ſepultum
Exteriore ſolo, quod raſtris inde fatiga,
In rectam donec ſalebroſum aequaveris agrum
Planitiem. Recto geminos tunc tramite ſulcos
Duc matres circa: hinc virgas torquebis in arcum,
Quem patulis commiſſum foſſis cogere tractus
Eſt opus ad longos. Preſſae propaginis arcus
Expectant ſulcum, et vivam plantaria terram,
Hinc ſextam campo gemmam ſubmittere oportet.
Indulge ordinibus: dextros, ramoſque ſiniſtros
Huc illhuc aeque diſcernes limite quadro,
Matribus hinc totidem culta tellure ſubactis
Octo aderunt nati, ſimilemque metabere campum
Sollicitus reliquis; tunc ſummo margine binis
Effoſſis ſcrobibus tolles utramque viarum

Partem, unaque tuum quadrabis lege laborem,
Sic facilis vires tellus dabit omnibus aequas.
Tramite diſpones Moros non ſecius omnes,
Ac certans bello immani cum ſaepe Boruſſus
Explicat inſtructa longas legione phalanges,
Directaſque acies format; tunc agmen aperto
Stat campo, et paribus late vix fluctuat armis;
Sic patulo dederis campo plantaria ſolers,
Cunctaque erunt paribus ſpatiis diviſa viarum.
Cum vaga Cecropiis primum diſcedet Hirundo
Finibus, et pelagi tepidas praetervolat undas
Heſperias viſura caſas, nidoſque relictos,
Jucundoſque dies referent, pluviaſque Favoni
Spirantes, ſtratae tumuli ſub tegmine matres
Mororum dudum exoptato humore madebunt,
Et frondes ſenſim attollent a ſtirpe tenellas,
Quae forti coaleſcentes radice parentum
Vitali fibras ſucco, teneraſque medullas
Expandent, ſummos unde utilis eſca meatus
Irrigat, ac veluti exhauſtam cava cohclea in auras

Tollit

Tollit aquam. Plures nitido de cortice gemmae
Producet Morus ſucco ſaturata feraci.
Virgultis vero nimium ne crede ſuperbis,
Quin ſcindes eadem caeſim a propagine ſumma,
Ut nulla in toto conſurgant amplius agro.
Naviter hinc vigiles nati virgulta reciſa
Faſciculis aptent, quos intra tecta reponant,
Et plenis referant calathis ſordeſque caſarum,
Pulvereumque viae limum, quem injicere truncis
Eſt opus abraſis, validis qui viribus aucti
Extendent late creſcentia fila per agrum,
Plantamque extollent ſenſim a radicibus imis.
Cum Philomela ſuam a viridi vocat arbore Prognem
Communem repetens moerenti gutture caſum:
Cum pecudes pratis laſcivae munera nota
Exercent Veneris, denſiſſima pullulat arbos,
Et natura movet foecundum a ſemine ſuccum.
Vulneris expertes primo tum germine ſectis
De virgis gemmae pubeſcent. Ordine longo
Hinc tenerae exibunt frondes, quas creſcere paſſim

Lacteolumque caput cernes protendere in auras,
Ac veluti foetus informes fingit in artus
Urſa ſuos, linguaque levi illos ſedula lingit,
Perfecti donec referent nova lumina mundo,
Haud aliter graciles Moros, raſtriſque, manuque
Aſſidua pius ipſe coles. Defende tenellas
Frondes, creſcenteſque male a radicibus herbas
Deturba, flores tellus ne ingrata malignos
Educet. Exiguos digitis decerpe remiſſis
Ramos, ut tantummodo ſingula proferat arbos
Majorem. Sicut plures enixa lyciſca
Si interdum catulos pleno licet ubere cunctos
Suſtineat, nati foedo ſquallore rigebunt
Tergore deformes, haerebitque arida pellis
Oſſibus incurvis, deeritque his robur avitum,
Unde minas pavidi metuent, vocemque moloſſi:
Si tamen avulſis aliis praeſtantior unus
Pendeat uberibus, jactabit robur avitum,
Et rictu horrificum hunc metuent, et voce moloſſi,
Sic ramus pariter, qui altus ſupereminet omnes,

Foecun-

Foecundae paſtus vitali humore parentis
Fortior augebit frondes, tolletque ſuperbus
Cervicem, et quamvis gracilis, tamen arboris umbram
Ingentis late ſternet. Crepitantibus Auſtris
Leniter, et pluviis tepido labentibus imbre
Protendunt ramos aurae, quos aethere Phoebus
Erigit a puro. Vix binum expleverit orbem
Cynthia, proſpicies circum ridentis adultam
Spem campi, audaceſque ſolo conſurgere virgas,
Germinibuſque novis miti colludere vento.
Tu marra campum verſa, tu frange ſupinas
Hinc glebas: raſtro conjux, natique tenellis
Divellant herbam digitis, ut ventilet aura
Nil niſi Thysbaeas frondes. Ceu ſaepe magiſtri
Solertes ſueſcunt pueros huc flectere, et illuc,
Atque illos aequi ſpecie formare, et honeſti,
Virtutiſque viam, faciemque oſtendere recti,
Nunc ferulam inviſam tractantes, ſaepe monentes;
Cereus hos animus patitur quodcumque doceri;
Impiger haud aliter dociles tu dirige virgas,

Digitized by Google

Et Solem, coelumque arrectas coge tueri,
Ne indocili pronam flectant a ſtipite frontem,
Durius unde foret curvas ſuſtollere plantas.
Si crudo curvetur iners arbuſcula ab Auſtro,
Roboreo hanc vallo fulcire memento: minaces
Sic Morum contra ventos durare docebis,
Arrectamque ſolo coges attollere frontem.
Glauca ſalix illam conſtringat vimine lento.
Quot gemmae Mori turgebunt parte ab utraque,
Tot pariter frondes creſcent, totidemque ſubibunt
Et frutices: verum hi ſurgenti debita plantae
Imminuent alimenta, igitur levioribus illas
Decuties digitis: caveas tamen ulla cicatrix
Ne laceret librum, namque immedicabile vulnus,
Immatura licet, flammis arbuſta voveret.
Jamque Coturnices ſulcantes aera pennis
Ut primum referent reditum, terraſque reviſent
Heſperias, ſiccumque Canem, plenamque ſequentes
Aeſtatem augebunt late ramos, frontemque tumentem
Attollent Mori: prudenti tu attamen omnes

Scirpicula obtundes, ut te cum vertice tantum
Aequent. Interea attractus radicibus humor
Notas aſcendet fibras, gemmaſque ſupremas
Tentabit, compreſſuſque acri vulnere ſeſe
Altior extollet, curſumque revertere ineptus
Uvidulas rumpet gemmas utrimque tumentes,
Et ſenſim extrudet tenero de cortice ramos.
Non aliter tellurem cum acrior aeſtus hiulcat
Prata rigaturus tenuem perſaepe colonus
Praecludit rivum; modice primum emicat unda,
Et leviter laxat curſum : tumefacta moratur;
Sed valvis qua intercluſis retruditur altus
Ancipiti rivus circum ſe vortice volvit,
Denique contiguas turgenti gurgite ripas
Garrulus exſuperans flores circumfluit aegros,
Pratumque inſtaurat, languentemque erigit herbam.
Frondibus eductis ſimulabunt arboris altae
Hinc virgae formam: effundent cervice tenellas
Inde comas, nitidoque e corpore brachia pandent:
Brachia velle tamen rectas erupta per haſtas,


Ut melius ſummo creſcant de vertice crines,
Ramoſque attollant teneros, umbramque novellam
Suſtineant plantae. Interea ferventior annus
Torrebit campum, et paulatim languida Morus
Deficiet. Tum imbres precibus, pluviaſque vocare
Incipies. Sicca ac veluti qui febre laborans
Optat aquam, linguamque cupit mulcere peruſtis
Faucibus haerentem: pateram bibit ille rapaci
Ore redundantem, et ſimul ebibit ille ſalutem;
Lenibus interfuſa comas ſic imbribus, ante
Demiſſas Morus frondes evolvit in auras.
Stridentes cohibe tenebroſo in carcere ventos
Aeole, ne teneras immani pondere plantas
Incurvent, ramiſque novos praedentur honores.
Interea agricolae madefactum vertere marra
Incipiant campum, raſtroque aequare tenaci,
Ne immodico tellus ardore coacta ſuavem
Reſpuat humorem: nimium fatale tenellis,
Juppiter! exitium arboribus, jacturaque acerba.
Tu male naſcentes frondes decerpe nitenti

Cortice

Cortice; de Moris frutices tu diripe inanes,
Sic late creſcens majorem arbuſcula ſilvam
Augebit. Totum te haec ſedula cura fatiget,
Dum tenuem longa noctes caligine vincant
Titanis lucem, et pallentia frigora campis,
Arboribuſque Aquilo frondum diſcerpat honorem.
Cum triſtis comedens corrupta cadavera cornix
Praedicit miſeris rigidum paſtoribus annum,
Et deteſtatum frigus, crudamque pruinam,
Tum teneras ſulco radices detege recto,
Quas intra cinerem largus jactare memento,
Cui miſce veteri lignorum quidquid acervo
Reſtiterit pluviis corruptum, atque aere aprico;
Inde ſcrobes foliis confertos verte, lutoque
Transfoſſo ſulcos aeque compone novellos.
Congeſtam circa matres cumulo aggere terram,
Quae exiles plantas glacie redeunte fovebit.
Fragmina ariſtarum, feſtucas congere putres,
Quiſquiliaſque leves, quae aura iactantur inani,
Et tenues ſpicas, grano quas area dives

Sejunxit pingui, quaſque horrea plena recuſant.
Prodigus his operi ſurgentia culmina, canae
Ut labefacta evaneſcat vis cruda pruinae,
Stercoris atque tepor radices nutriat arcens
Saevitiem nivis, atque inſtantem frigoris iram.
Interea poſita poteris requieſcere marra,
Sudatiſque modo curis imponere finem.
Sit vero natos tibi ſedula cura docere
Mororum leges, praeceptaque tradere noſtra,
Dum conjux dilecta, ſimulque puella camino
Innixae obſcuro libratum pollice torquent
Fuſum fallentes diuturno frigore noctes
Ingratas nimium. Haec olim didiciſſe juvabit;
Nam pueri creſcent; cum ipſis quoque cura adoleſcet
Augendi Moros, quorum inde fruere labore,
Sericeis etenim ubertim ditabere donis,
Cum matura toris jungenda puella marito
Expoſcet dotem, late cenſu auctus avito
Impiger immodicae expedies impendia dotis,
Atque ſequuturum Martis victricia ſigna

Tu galea poteris natum, phaleriſque ſuperbis,
Quadrupede inſtruere inſigni, et fulgentibus armis.
Ut viridis primum flores producet aprilis
Aſſidue teneras ſolers noto ordine Moros
Excole, quod perages donec Sol expleat orbem.
Aſt ubi ver quartum nobis traduxerit annum
Matribus haerentes dudum mox carpere plantas
Incipiat cultor, campiſque exponere apertis.
Tu tamen incoepto vigilans non parce labori,
Nec turpi ſquallere ſinas rubigine marram.
Saepe tenax raſtrum tracta, perſaepe ligonem
Ne parere tibi tellus neglecta recuſet.



MO-

MORORUM
LIBRI III.
LIBER II.

Digitized by Google



LIBER II.

HActenus, ut flores, munitas ſepibus altis
Mororum virgas, ſugenteſque ubera matrum
Diximus: at matrum ereptas de corpore plantas
Nunc canere incipio, et ſparſas per aperta locorum;
Alma Ceres, quae ruricolas, agroſque tueris,
Parva quidem poſco, campeſtribus adnue coeptis.
Tu unica ſpes miſerae Italiae, tu numen amicum
Nunc nobis ſuperes. Poſtquam lacrymabile fatum
Res Italas fregit, veterique furore parentum
Inclyta regna olim ſummam traxere ruinam

Digitized by Google

(Inſontes luimus diſcordis crimina Romae)
Palladis, et Martis patriae ceſſere coronae,
Qua reges Italo vivebant numine laeti,
Qua gentes quondam Auſonia ditione coactae
Parebant nobis. Artes abiere vetuſtae,
Atque alios pepetere procul ſibi Maecenates,
Qua populi inculti, et turpi caligine merſi
Degebant, habitumque rudem, moreſque gerentes
Barbaricos. Sed, proh pietas! proh dedecus ingens!
Tot vicibus, fatiſque diu crudelibus acti
Et belli, et pacis morem modo, juraque coeci
Illorum ſequimur, veſtemque imitamur, et artes.
Alma mihi Pallas, quaeſo, ſuccurre canenti,
Si Italiae numen vivis, ſpeſque unica noſtrum,
Te incoepti numen curſus, comitemque repoſco.
Hic quoque Pierides, dum agreſtia munera tracto,
Ferte pedem, facilemque mihi concredite avenam,
Quas curas Dominus Moris impendat alendis,
Dum expedio, et durum agricolis propono laborem,
Mororum varias leges, moreſque docendo.

Ter-

Tertius exactis binis ut venerit annus,
Anguſta horreſcunt tumidae plantaria Mori.
Arva igitur rimanda tibi, explorandaque tellus.
Circumquaque locos ſtatues, queis vere novellae
Sunt committendae plantae. Qua ſorte negarit
Uberiorem agris ſuccum natura, fluentes
Cum deſint fontes, elato, qui aggere circum
Deducti ſejungant arva propinqua, vetuſti
Securo ſtatuere atavi pro limite ſepes
Dumoſas, illaſque attrito tramite circum
Clauſere, et paſſim praegrandia ſaxa locarunt,
Vel laetae Cereri, ſummove dicata Tonanti,
Quae agricolas moneant tardos, pecudeſque rapaces,
Mollia ne ruris laedant ſata dente maligno,
Abſtineantque avidi pariter robuſta coloni
Plauſtra: tamen Cereri melius quam frigida ſaxa,
Atque Jovi potius ſolers pro limite inerti
Mororum quoquo verſus juga longa ſacrabis,
Quae a veſtris alios ſejungant finibus agros,
Non minus ac ſteriles ſepes, cippoſque rigentes

Innocui agricolae fugient revirentia ſigna .
Declinans igitur campi de margine paſſus
Tres unca foveam marra tu confode apertam ,
Et quinis latam , pedibuſque metare profundam
Trinis, et paribus foveis tua jugera cinge.
Inde peragrabis campos. Solertia partes
Non fugiat vacuas arvorum; quo incipit altus ,
Deſinit et ſulcus: quo autem verſura patentem
Dividit ultima agrum caveas circumfode ſolers
Margine depreſſas quoquoverſus bipedali,
Et quinque emenſas ulnis has parte ab utraque
Quadrabis ſcite. Nunquam te glarea cruda,
Non te calculus exanimet. Thysbaea lapillos
Arbor amat tenues: radices quippe meatus
Petvadunt citius : tellurem horreſce paluſtrem,
Argillamque albam, haec Moris alimenta negabit,
Irritus unde labor. Per paſſus divide ſeptem
Has alternatim, et ſemper lege utere eadem.
Effoſſis circum caveis ſimili ordine te ultra
Non labor urgebit durus, non improba cura:

De-

Debita ſed tandem requies tibi, et otia reſtant.
Frigidus interea Arctophylax, Cynoſuraque coelo
Lucebunt medio revehentes frigora nobis,
Concretaſque nives Aquilone, truceſque pruinas.
Hae tibi pro raſtris, marra, curvoque ligone
Indomitam, ſuperaſque effoſſam nuper ad auras
Incipient noctu tellurem arctare, dieque
Praepingues nebulae, et demiſſior aura reſolvet,
Reflexoque illam penitus Sol lumine quaeret
Exiguum peragens hyemali ſidere curſum,
Et Boreas, Scythicoque ruentes carcere venti
Spirabunt pariter, cineri unde ſimillima ſicco
Mutata tandem facie miteſcere diſcet.
Sic Sole, et bruma, ventiſque exercitum, et imbre
Triſte ſolum, et marra nondum tractabile vires
Acquiret, calidiſque nitris, et ſalibus auctum
Fertilis Eridani pingues imitabitur oras.
Ut vero feſſis paullatim mitior annus
Jucundam coelo referet mortalibus auram,
Gramineis ſternes glebis, ligniſque vetuſta

Exeſis macie; et ſtipulis cunabula Moro
Conſtituenda novo. Nunquam a regione remota
Abducas plantas. Diſpar natura locorum
Saepe refert multum: virtus non omnibus agris
Una. Ideo agreſti Moros, quas pectine veſtris
Plantandas dixi campis, ſub ſidere veſtro,
Et veſtris etiam velim plantaribus ortas,
Ne ignoto in campo direptae a matre ſatiſcant.
Sic terris Morus patriis aſſueta ſuperbas
Attollet frondes. Divelle a ſtirpe parentum
Lacteolas virgas, runcaque, manuque remiſſa,
Ne duri perdat radix diſcerpta laboris
Fructum. Quos illae ſpectant in cortice ventos
Signabis: quaſcumque ſuis obvertere oportet
Aſtris, ut vento cunctae reddantur eidem,
Cui prima a teneris dudum conſueverat aetas.
Ut vero graciles ſuperae tu oſtenderis aurae
Radices primo correptas vulnere multa
Involues palea, aut hirſuta carice, molles
Ne lacrimas forſan vitales ſorbeat aer,

Maternoque ſinu Morus divulſa laboret.
Sterne itidem foveas pingui laetamine apertas,
Hinc leviter prolem campo depone ſerendam.
Molle capillitium, trifidaſque aptare memento
Radices leviore manu, ne ſorte retortam
Collectae in ſpiram vegetantes altera motus
Comprimat alterius. Confertas gramine glebas
Injice: ſollicituſque omnes craſſa occule terra,
Laxius ut radix diffuſa vagetur in agro.
Qualiter in ſeptis olim a cervice tenellas
Truncaſti Moros, iterum praecide ſuperbam
Caeſariem, ut tantum videatur inutilis haſta,
Nec patiare illam erecta te excedere fronte.
Vertice enim obtuſo plures revolubilis humor
Extrudet ramos, cui ſe via libera fibris
Explicat, internos circum undique dum irrigat artus.
Septeni paſſus ſpatium ſint inter utramque
Plantam, et per ſeriem ductim ſic pergito totam,
Donec opus peragas, et Mororum juga longa
Conſtituas; eadem in caveis ſit regula quadris.

Inde

Inde ſolo Moris commiſſis parte ab utraque
Congeſtam ſubito raſtris diffundere terram
Curabis, tumulus, clivuſne appareat ullus.
Imporcabis humum ſtirpem prope virgultorum,
Per ſulcos Morus ſenſim ut radicibus actis
Laeta comam citius molli de vertice mittat.
Attamen apricos late qua glarea campos
Arefacit, volitatque levi qua pulvere tellus,
Sunt quibus eſt uſus campo committere Moros
Ut primum autumnus declinat frigore victus.
Quiſque ſuis agitur cauſis, et mente movetur;
At mihi non equidem eſt eadem mens, namque furorem
Horreſco nobis inſtantem Erymantidos Urſae:
Excitat haec Boream e Riphaeo littore crudum,
Qui noſtris ſaepe incumbens regionibus imbres
Hibernis glomerat nivibus, terra unde coacta
Illico duritie Garamantica marmora vincit.
Ubere tunc Mori avulſae, dulcique parentis
E gremio, nuperque ingrata ſede repoſtae
Oppetere aut mortem miſerae, aut tabeſcere diſcent.

Ver

Ver tamen ut Zephyris hyemales temperat auras,
Haud dubites tepido Moros deponere campo.
Haec etenim moneo campis expertus avitis
Bis ſenos lapides noſtra diſtantibus urbe,
Atque tuis totidem munitis, Mantua, muris.
Mantua pulchra nimis, nimiumque exercita bellis,
Quam propter crebro Auſonidae exarſere cruento
Marte, atque Eridanus rorantes ſanguine fluctus
Scuta, viros, galeaſque minax traduxit in aequor.
Qua campos vero inclementior aura coarctat,
Et rigidis cogunt terram aſpera ſidera ventis,
Qua colles ſurgunt, qua attollitur ardua montis
Ora, cave nimis elato ne vertice Mori
Aſſurgant; coenum manibus tum ſuffice plenis,
Sic crudam mulcebis humum, ventoſque furentes
Vinces, quodque pati indocilis natura recuſat,
Arte emendabis: qua non patiuntur aratrum
Acclives montes late circumfode marra
Tellurem; crebro glebas inverte ſupinas,
Sollicituſque herbas dentato diripe raſtro,

Ingentes pleno unde educes vertice Moros.
Qua nebulas vallis ſquallentes ſuſcitat, altam
Erige ſupra alias Morum, ut procerior aura
Vividiori educta altos a vertice ramos
Fundat, & umbriferis foliis onerata vireſcat.
Plurima te poſſem veterum praecepta docere,
Irrita ni nobis longa experientia paſſim
Feciſſent. Quidnam creſcentis cornua Lunae
Cum Moris? quidnam cum plantis aſtra ſerendis?
Dum Zephyri leviter ſpirant, dum nubila circum
Humida vere novo pendent, ſatio optima Moris.
Lunares igitur fruſtra ſpeculabere motus.
Religio haec ſatis illuſit veneranda parentum
Saecula; mens ſiquidem has leges humana abolevit
Docta modo certas rerum cognoſcere cauſas.
Quae volucrum roſtro labuntur mora loquaci
Silveſtres inter dumos, tribuloſque rigentes
Illaqueata diu latitant, at denique frontem
Suſtollunt viridem nullo cogente colono.
Tunc labor impendendus erit, tunc provida cura

Nam-

Digitized by Google

Namque manus vigilis cultoris avara vocatur,
Ut creſcat ramis arbos ingentibus aucta.
Quas paſſim vero tellus imitata novercam
Non aluit tenues intra plantaria virgas,
Tu ſulcis indiſtinctas compone profundis,
Illaſque in morem curabis texere ſepis,
Quae a flava tauros ſegete, et pecus omne tenebunt,
Atque miniſtrabunt primam bombycibus eſcam.
Attamen ut denſae creſcant, ſunt falce putandae,
Vix omnes uno ſuperent ut pollice fundum.
Vepribus, et tribulis illas tutabere acutis,
Lacteolo donec jactent a vertice frondes,
Altius et validis ſe extollant viribus auctae.
Non duram ſtupidus marram, non neglige aratrum;
Saepe labor marrae, totidemque iterandus aratri,
Graminis ut penitus pereat genus omne nocentis.
In morem ſepis nulla cohibente bipenne
Tu virgas ſine lege ſines ſilveſcere. Binum
Ut reduci Phoebus curſu traduxerit annum,
Illarum pedibus lucentem impinge ſecurim

Funditus a terra, et ſolers virgulta recide,
Unde habeas vallos ſuffultis vitibus aptos.
In ſeptis tenerae plantae, laribuſque propinquae,
Dum intactae vivunt, creſcunt; non morſibus hoedos
Vulnificos metuunt, jactantes cornua tauros
Ignorant, immo felicia tempora ducunt,
Seps avidas etenim pecudes ſecura coercet.
Ut primum vero campo creduntur aperto,
Inſurgnnt hoſtes illas ſine more petentes.
Quapropter veluti miles viſurus in armis
Hoſtes induitur lorica, ocreiſque reſulget,
Aeratoque micat clypeo, galeaque ſuperbus
Eminet, haud aliter Moros, queis tanta pericla,
Impendent, quas tanta urgent diſcrimina coeli,
Armis cinge ſuis. Calamos decerpe paluſtres
Congere limoſa paleam cum carice mixtam,
Illiſque obduces plantas, triplicique ligabis,
Sed lento nexu, nodus ne ſtrangulet intus
Arboris humorem. Cortex renitebit opertus,
Crudelemque hyemis glaciem, Soliſque retundes

Ardo-

Ardorem. Nudae ſint vero a vertice plantae,
Ne gemmae lateant oriturae. Vomere taurus
Ingemat impoſito, qui operis modo dividat ingens
Tecum onus: at querulum multa vi pronus aratrum
Trude: octo ſulcos produc recto ordine: primo
Succedant alii, atque labor ducatur in orbem,
Uſque novis ſulcus dum plantis incubet altis
Parte ab utraque: tamen ne extremo vomeris axe
Delibes truncum, vehementi voce coerce,
Atque manu retine tauros: innitere ſtivae
Oppoſitae, aut potius ramus tibi corneus adſit
Flexilis, atque virens, laevis, longaque medulla
Sciſſus, quem medium temoni infige recurvo,
Innixuſque humeris illum torquebis in arcum,
Extremae donec partes figantur eiſdem
Spinis, queis orbes ſtridentes axe tenentur.
Hac ratione tuis mordax cohibebis aratrum
A plantis. Recto forſan ſi e tramite quaedam
Declinet, facili pronas mox erige dextra,
Atque doce ſolers cunctas conſurgere rectas,

Ut primas, medias, et quae ſunt parte locatae
Suprema pariter ſic linea dirigat una,
Ut reſono mittas nervo ſi forte ſagittam,
Ipſa volans nullam tenui vel vulnere tentet.
Quod doctus recta in fovea, quoque perſice ubique
Sparſis in caveis, ſummo qua margine campus
Definit; hic etenim quoties iterabis aratro
Verſuras flavae diſponens jugera meſſi
Arboribus cultum renovabis vomere eodem.
Diruta Mori inter veterum coementa caſarum
Figere radices gaudent: nam fervida nitro,
Macerieque tepens ferveſcit terra, fovetque
Ubertim plantas, tumido quae vertice in auras
Se extollunt citius, majoraque brachia pandunt.
Non his, quaeſo, locis dubites impendere curam;
Illa tibi magno referet cum foenore fructum.
Qua bobus ſurgit praeſepe, domuſque colonis
Fige etiam Moros: aliis procerior umbram
Eriget hic arbos; radios arcere parata
Aeſtivos Solis pueris umbracula ſternet,

Et natis, caſtaeque uxori dulce levamen,
Anxia cum repetet maturae tempore meſſis
Patria tecta, diu querulo luctantia nato
Ubera ſuppoſitura, eſcaque alitura relictam
Mane novo ſobolem. Haec puerilibus oſcula plena
Blanditiis miſcebit, et ipſa labore diurno
Fracta inſtaurabit vires, reducique marito,
Et bacchum, cereremque, dapeſque apponet inemptas.
Sic ambos menſa, et viridis ſolabitur umbra.
Ah pereat quiſquis, tranquillo ruris amore
Poſthabito, curas, fallaceſque urbis honores
Laudat, et indomitum faſtum, ſequiturque tumultus
Urbanos. Felix qui rure tenetur avito,
Namque boves, Mori, ſegetes, viteſque feraces
Delicias faciunt domino cum foenore magno.
Hic nunquam domina obſequiis pertaeſa vetuſtis
Te imperio miſerum exercet, pax candida floret,
Hic pacem Zephyri lenes, volucreſque loquaces
Nocte dieque canunt, et ruſtica munera laudant.
O fortunatus patrii ſi norit arator

Digitized by Google

Divitias ruris. Fructus gratiſſima tellus
Educat, et facili victu reſpondet avaris
Agricolis. Tranquilla dies hic praeterit, et nox
Neſcia ſecuros agreſtum fallere ſomnos.
Sed jamjam ramis, foliiſque domeſtica Morus
Luxuriat plenis, foecundaque pabula Eois
Vermibus ante alias offert, maturaque mora
Suppeditat pullis, gravibuſque abdomine porcis.
Sic illi creſcent, hi ingentia tergora circum
Carne ſaginata augebunt. Tibi pinguior eſca;
Cum dureſcet hyems glacialibus horrida brumis.
Qua vero tellus ſalebroſis aſpera ſaxis
Frugiferam haud patitur cererem, bacchumque recuſat,
Et cicer educit raro, vilemque lupinum,
Optima turgidulis Moris cunabula habebis.
Illa ferax Moris, illa experienda colonis.
Candida glarea amat Moros: hinc vivida radix
Plantarum lapidoſa Soli per viſcera reptat;
Ac veluti dux ingenti perſeptus ab hoſte
Explicat invictas turmas, et fronte phalangem

Qua-

Quadruplici format, ſpatioſoſque occupat aequis
Ordinibus late campos, aciemque metatur:
Non aptos cereri ſimili ſic lege per agros
Plantabis ſolers Moros juga recta viciſſim
Producens, aeque ut paſſim arbor ab arbore diſtet.
Thysbaeis totum foliis ſiluеſcere campum
Tu coges, crebro ſi invertes vomere ſulcos,
Si terram nunquam enervabis ſemine iniquo,
Et gramen toto haud patiere vireſcere campo.
Quod tibi rara ceres ſaxoſa ſede repoſta
Abnuerit, referent ingenti foenore Mori.
Non procul e laribus foſſam circumfode latam.
Hic frondes nemorum diſcerptas frigore hyberno:
Hic tectis paſſim quidquid tua filia verret,
Semeſas epulas bombycum, hic aggere ſordes,
Quiſquiliaſque, furens quas jactat ab arbore ventus,
Hic tenuem miſce paleam cum ſtramine molli,
Unde calor Solis, ventus, pluviaeque cadentes
Conficiant intus tepidum laetamen, ut inde
Ferveat in cavea, et vitalem arentibus agris

Suppeditet ſuccum, et quod glarea cruda recuſat
Sufficias, Moruſque altum protendat in orbem
Ingentem formam, frondem bombycibus Indis
Germinet, et patula ramorum exuberet umbra.
Qua ſteriles intra campos via publica curſum
Exhibet, haud pereat neglecto margine tellus;
Aſſurgant igitur Mori decora alta viarum:
Parte ab utraque tibi virides deponere plantas
Præcipio, et paribus ſpatiis juga ducere longa.
Grata viatores feſſos ſic umbra levabit,
Dum Canis aeſtivos accendit torridus auras:
Sic Dominus late cenſum ditabit avitum,
Cum nova guſtabunt bombyces pabula adulti.
Advena cum linquens concretas frigore ſilvas
Auſonios intrabit fines, umbroſa putabit
Anxius Heſperidum intraviſſe vireta, vel hortos
Elyſios, laetuſque viam properabit amoenam
Luſcinias inter reſonas, et acanthida dulces
Alternos grato modulantes gutture voces.
Jamque Phlegon ardens, Pyrois, Eous, et Aethon

Vere

Vere novo revehet viridem mortalibus annum,
Qui ſparget pleno campeſtria ſemina ſucco;
Hinc laeta tenerae Mori cervice tumeſcent
Turgidulas gemmas pariturae, et germina prima.
Protinus hirſutos ſentes, et congere vepres,
Cueis haſtas calamis indutas cinge, caputque
In primis, lentoque infra illos vimine vinci.
Arceat a gemmis intortus circulus, ipſos
Ne lacerent intus creſcentia germina: gliſcent
Sic equidem intactae frondes, tauroſque voraces
Eludent, teneraeque obnixas arboris haſtae
Vaccas, ſi turpi forſan prurigine tactae
Se tentent: inconcuſſa hac ratione jacebit
Arbos. Aſſidue his perfectis rebus in unguem
Et cereri vigilans incumbe, et vitibus altis.
Attamen ignarus curas haud neglige coeptas,
Namque egomet memini a proavis audiſſe vetuſtis,
Ruricolam Moros ſeviſſe, illaſque labore
Sollicito coluiſſe diu, qui denique feſſus
Scirpiculam, marram, notumque oblitus aratrum

Vepribus, et dumis illas, tribuliſque reliquit,
Linquitur ut quercus mediis ingloria ſilvis.
Sericidae fremuere Deae, fremuere bicornes
Et Satyri, quod deſidia traheretur inerti,
Qui late herculeos humeros, Steropiſque gerebat
Brachia. Magna parens arvorum brachia juſſit
Truncari miſero agricolae quaſi inutile pondus.
Tunc tacitae obſtupuere Deae, caſuſque miſertae
Crudelis poenam commutavere cruentam
Viminibus caedendum igitur, virgiſque dedere
Herculeos humeros Satyri, duroſque lacertos
Nudarunt rabidi: inſonuere flagella per artus
Immanes, et ubique cutis contuſa tremebat.
Jamque miſer lacrimas, ſingultuſque ore ciebat,
Et crudi necdum abſolvebant juſſa miniſtri.
Expleta demum mulcta, amotiſque flagellis,
Procubuit pronus lutulento pulvere quaerens
Solamen, madiduſque humeros, tumiduſque lacertos
Verberibus miſerum mediae ſe advolvit arenae,
Sordidiorque immundo evaſit turpiter apro.

Seri-

Sericides riſere Deae, riſere bicornes
Et Satyri, aſtantes circum riſere coloni,
Vicinique ſimul crepuere ululatibus agri.
Agricolas olim ignavos ſic vindice poena
Sericides mulctaverunt. Diſce ergo tenellas
Moros excolere, iram ne mereare Dearum;
Namque coli aſſidue cinctis haec dignior arbos.
Jamque dies redeunt mites, et fertilis annus
Pinguia graminibus foecundat rura tenellis.
A ſummo primi frondeſcunt vertice rami,
Et frutices ſurgunt educti vere tepenti.
Semiviri teneri, tenerae ceu ſaepe puellae
Caeſariem certa conſueſcunt ducere lege
Aſſyrio unguento, ferroque, et pectine eburno
Mulcentes crinem: ſimili quoque lege novellas
Attenua frondes induſtri pollice (Morus
Annicula horreſcit crudelia vulnera falcis)
Sufficient tantum modo germina bina puſillis,
Sed tria, vel ſummum, valido quae corpore praeſtant,
Quatuor educent feliciter: hoc numero ſi

In tenero plures linquantur ſtipite rami,
Fruſtrentur cuncti : graciles ſine viribus aegri
Squalleſcent circum, et labor hinc foret irritus omnis.
Interea triplices majori robore Morus
Augebit ramos, fruticeſque emittet ab illis,
Qui veteris denſam ſimulabunt arboris umbram.
Si molles vero praerupto turbine grando
Horrida diſcerpat frondes, a cortice fractas
Lucenti reſeca ferro, ne forte venenum
Demiſſum a ſumma radices arbore foedet;
Ut primum flagrans ſitientes Sirius agros
Torrebit, fervens aeſtivo terra calore
Virmiculos plures, infectaque gignet ubique.
Infeſtam ah ! turbam metue, atque ignobile vulgus;
Bella parat miſeris Moris, nimis horrida bella.
Ante alios hoſtes timeas inſecta, nigranti
Tergore quae lucent : caput his breve; venter at inde
Amplus, et oblongus, nigra, et velocia crura,
Forficulamque gerunt pro cauda : callida furtim
Per Moros reptant; fraudem ſub tegmine condunt

Digitized by Google

Straminis, attingant, donec veſtigia ſumma,
Inde venenato pia germina forſice vaſtant,
Et radunt quidquid florens modo germinat arbos;
Quapropter tenui religatum vimine ſtramen
Solve cito: plantas denuda, et concute frondes
Hoſtibus oppreſſas: procumbent protinus omnes
Deturbati, et diffugient ſine lege per agros:
Neve tamen rurſus tentent iterare periclum;
Ereptis calamis haud tu prius indue Moros,
Quam rectis Phoebus radiis, et Luna reflexis
Circumquaque leves novies luſtraverit haſtas.
Attamen exutis iterum veſtire memento
Sollicitus ſpoliis, ne obductas cortice molli
Sol fibras urat. Pariter tibi turma domanda
Eſt volucrum, quae alis, habituque ſimillima fucis
Huc illuc volitat, creſcenteſque ore rapaci
Perterebrat paſſim frondes, et quidquid edaci
Devorat ingluvie; arboribus, ſegetique nefanda
Peſtis! ſed tanta vitiatos peſte repente
Concutias ramos: volucres ceu mitia mora

Acriter

Acriter acta Noto labentur protinus omnes :
Tum ſubito circum gallinas coge loquaces,
Et pullos, qui hoſtes inſenſos vindice roſtro
Mordicus arripient tumulantes ventre voraci.
Ut tamen imbriferis compreſſus nubibus aer
Intonat, effuſique ruunt placido aethere nimbi,
Labenti pluvia tellus recreata madebit,
Et pulvis fluitans volucres, infeſtaque ſecum
Abducet. Puro vix fulſerit aere Titan
Junge boves; illos ſiquidem ſupponere aratro
Eſt opus, heſterna donec pluvia humida tellus
Te acclives patiatur agris inducere porcas.
Vomere ſollicita tellurem, iterumque fatiga
Depreſſos ſulcos, avulſaque funditus herba.
Parte ab utraque tuo tantum ſit meta labori.
Ne rigido in truncos impingat vulnere vomis,
Corpore praecipio toto, totiſque lacertis
Nitere in adverſam burim, tauroſque coerce.
Circulus, et vepres ramis ſua munera praeſtent,
Dum incuſtoditi percurrunt paſcua tauri,

Ne

Ne a tenera primas decerpant arbore frondes.
Cortice mox etenim ſciſſo tabeſceret arbos.
Magna pericla quidem haec, ſed enim majora ſuperſunt
Arboribus : nunquam pigeat te iterare laborem
Aſſiduum; ſudor triplici tibi foenore fructum
Reſtituet. Dryades aderunt, aderuntque ſecundi
Arvorum pariter Genii, qui numine laeto
Teque, tuumque opus aſpicient; hoc flava colonis
Pollicita eſt olim Cybele (nec numina fallunt)
Ut primum campos docuit ſupponere aratro,
Noſque agros Moris patrios ditare. Minervae
Ante alias arbos gratiſſima, quippe labori
Materiam praebet phrygio, tenerae unde puellae
Arte colorata texentes ſerica fila,
Heroumque vices inſcribunt, geſtaque regum,
Quae procerum auratis paſſim conclavibus haerent;
Idmoniamque artem vincunt audacis Arachnes.
Hinc facinus Theſei, inde tuos Ariadna furores,
Vel miſero Pyrrum inſtantem Priamo enſe cruento
Ante aras patrias, confoſſumque Hectora Achillis

Cuſpide, jactatumque agitata per aequora Ulyſſem
Aulaeis paſſim inſcribunt, fraudemque Sinonis,
Aeneamque pium acri urgentem vulnere Turnum:
Te, Caeſar, fingunt ultori debita Bruto
Victima, vel phario Magni devota ſepulchro,
Idaliaeque Deae formant, et fulmina Martis.
Munera ſaepe movent Superos. Tu ſacra quotannis
Ideae facies Cybele, Grajaeque Minervae.
Quocirca ſanctas duro ſilice excute flammas,
Unde rogus crepitans fragrantem ad ſidera flammam
Extollat. Poſtac nigrantes rite bidentes
Conſtitues binas Cybele, totidemque Minervae
Indomitas vaccas: ſacro farre, atque nitenti
Injecto ſale, et precibus pia numina adorans
Multa obluctantes vi illas urgebis ad aram:
Hic trepidum ſacro jugulum mucrone reſolves,
Purumque effuſo ſparges altare cruore.
Sanguineos ſanctis impones ignibus artus.
(Devotos ignes Mororum ligna miniſtrent)
Interea circum pueri, innuptaeque puellae

Adſtan-

Adſtantes caſta clamabunt talia voce.
Alma parens Cybele arvorum fidiſſima cuſtos,
Alma Minerva parens operum fidiſſima tutrix,
Aequa quidem petimus, nobis praebete ſecundas
Aures; a Moris triſtes avertite caſus.
Vermiculi turpes abſint, inſecta, malaeque
Cum fucis volucres; abſit genus omne crabronum.
Temperet Aeſtatem ſiccam facili imbre ſolutus
Saepe dies: mollis madeat nox rore perenni.
Turbine commotos Scythico compeſcite ventos,
Atque procelloſas inviſae grandinis iras.
Arboribus faveat Latous Apollo diurno,
Cynthia nocturno curſu, et bona ſidera noſtris
Aſſidue rutilent campis, noſtroque labori.
Alma parens Cybele arvorum fidiſſima cuſtos,
Alma Minerva parens operum fidiſſima tutrix,
Aequa quidem petimus nobis praebete ſecundas
Aures, a Moris tantos avertite caſus.
Expletis demum precibus, ſacriſque peractis,
Tellurem in ſulcos exerce vomere curvo:

Digitized by Google

Mordaces tribulos, herbaſque evelle malignas,
Debita ne infeſtae Moris alimenta furentur:
Scirpiculam crebro manibus verſa, amputa ineptos,
Et frutices, unde uberiori uligine paſti,
Qui ſuperant, creſcant. Declinans aethere Phoebus
Denique corripiet curſum, ſeptemque Triones
Tarda polo nobis referentes aſtra, fugabunt
Aeſtivos Zephyros. Carpet jam vinitor uvas,
Maturoque premet nudatus crura racemos.
Illico rumpe moras: noto ſub pondere aratri
Coge boves: terram lucenti vomere ſcinde,
Stirpe etenim a ſumma creſcentes detege plantas,
Radiceſque levi ſtratae tellure parumper
Foecundum Solem, auramque experiantur apertam:
Prodigus inde lutum commixtum ſtercore equino
Per medium ſternes ſulcum, teneraſque recondes
Mororum leviter radices, fervidus humor
Ut foveat plantas. Obliquo vomere poſthac
Appones terram, et diffuſum ſtercus humabis,
Ne pingui tellus eſca fraudata ſeneſcat;

Ster-

Digitized by Google

Stercus enim tepido coecos humore meatus
Intrabit, glaciemque acrem, et frigoris iram
Comprimet, augebitque magis vegetabile robur.
Hoc etenim expedies melius, ſi ſtramine putri
Inferius plantas obduces: unde pruina
Candenti tellus nunquam concreta rigeſcat:
Aſpera non glacies penetrat, non frigora ſtramen.
Si infirmis Morus langueſcat morbida ramis,
Spinoſaſque edat frondes ingrata, rigentem
Ante hyemem haud dubites falcem ſupponere aduncam
Frondibus, ut turpi amiſſos a vertice rurſus
Extollant animos, cum formoſiſſimus annus
Vitali infundet turgentia germina ſucco:
His actis poſito poteris requieſcere aratro,
Concretos donec Zephyrus permulceat agros.
Cortice ſed pingues Moros, et fronde tumentes
Caedite vere novo: nimiam compeſcite ferro
Luxuriem, tanto ne arbor ſit ponderi inepta.
Imperio plantam duro exercete ſuperbam,
Ut creſcat citius robuſto corpore tardis

Ingentem late ſtratura nepotibus umbram.
Ter Phoebus nobis accedens, terque recedens
Thysbaeas foveat plantas noto ordine cultas,
Terque diu incumbentem operi tueatur eidem,
Frondibus at Mori demum majoribus auctae
Foecundos pandent ramos, fruticeſque viciſſim
Candidulis maturabunt bombycibus aptos.
Primi igitur fructus carpendi, et pabula prima
Vermiculis ſternenda tuis, calathiſque legenda.
Attamen uvidulis ramis arcere memento
Rugoſamque manus vetulam, durumque lacertos
Agricolam; hic marrae, duroque aſſuetus aratro
Crudeſcit ſcabra totus pelle, illaque cornu
Aridior palmas, digitos, ulnaſque rigeſcit,
Unde leves tenui laceraret cortice ramos.
Quapropter pubeſcentis modo flore juventae
Hic adſint circum pueri, molleſque puellae,
Quae manibus tractent Moros, primumque laborem
Sericidis ſacrent. Laetum paeana canentes,
Feſtoque in numerum Venerem clamore vocantes

Decer-

Digitized by Google

Decerpant ſummis manibus, gremioque reponant
Lacteolo molles frutices: tenero magis hoedo
Sic teneri digiti Moros non vulnere crudo
Contundent, immo ſpoliatos fronde novella
Mulcebunt ramos, ut flores innuba virgo
Contrectat molles. Qua tertia gemma tumeſcit
Interea ſolers totos a vertice ramos
Amputa, ut aut bifidae Morum, trifidaeve figures
Forcillae in ſpeciem, ſed caeſim pollici utrumque
Articulum aequabis, dein ferro vulnus amico
Laevabis, libro ut ſplendeſcat ubique nitenti,
Contrahat unde cutem citius ſanata cicatrix,
Falciſque obducat creſcens veſtigia cortex.
Ne ſuccuſſa arbos forte.a radice fatiſcat,
Laeva manus teneat Morum, dnm dextera ramum
Corripit: at manibus decerpes inde remiſſis,
Quae male creſcentes circum ſine lege vireſcent
Gemmae importunae, plures ut prodiga Morus
Dein frutices, laetoſque magis producat ad auras.
Tres tantum nati.quocumque e vulnere ſurgant,

Unde tibi trinas finges triplici ordine furcas.
Hic ubi temporius falce attenuaveris unca
Effuſas Moros, obliquo vomere preſſam
Sollicitabis humum, ut ſtiva, tauriſque ſubacta
Radices foveat teneras, frondeſque novellas
Suſcitet. Interea cervicem turgida Morus
Attollet, foliiſque auras, et fronde laceſſet.
Luxuriabit ubique tumens, plantaſque ſuperba
Contiguas vincet majora umbracula texens.
Immodice vero truncum ne germina denſa
Debilitent, rurſus moneo, quod pullulat ingens
A cervice nemus, quas germinat ebria Morus,
A trunco frondes digitis decerpe benignis,
Stolones etiam triſtes a ſtirpe recide.
Sic collucabis ramorum a pondere plantas
Oppreſſas turpi. Ac veluti cum ſponſa paratis
Diſcumbit feſtiva inter convivia menſis,
Illa genas roſeo interfuſa colore, modiſque
Culta comas variis, auro, gemmiſque coruſcans
Convivas habitu ſuperat, cultuque puellas.

Digitized by Google

Huic pars debetur laudis, quod pulchra decoret
Ornatus ipſos : laudis pars altera matri,
Sedula quod docta natam exornaverit arte;
Cum Moros laudat properans ſic ſaepe viator,
Te quoque cultorem laudat, falcemque magiſtram,
Quae tali potuit Moros finxiſſe figura.
Nil tibi nunc ſupereſt, dulces niſi forte ſecundus
Nubibus abruptis aer recluſerit imbres,
Humentes preſſo glebas convellere aratro,
Temperet unde madens radices terra bibaces.
Cum reduces vero paſtores montibus altis
Deducunt pecudes, Moros a ſtirpe tepenti
Sterne fimo, ſulcoſque elatis occule porcis,
Obliquo apponens effoſſam vomere terram.
Quae modo tradidimus tibi ſunt iteranda quotannis,
Alternuſque diu redeat labor actus in orbem.
Candidulae redeunte novello vere puellae
Germina prima redundanti tibi ferre caniſtro
Cum pueris certent gratam bombycibus eſcam.
Septima vix aeſtas Moris effulſerit altis

Scirpicula te arbos inſtructum, et ſalce vocabit.
Maxima cura, laborque ingens! Tractare peritus
Incipiat cultor falcem, tractare bipennem,
Et teneris primum plantis imponere morem;
Impoſitos etenim mores tractabilis arbos
Servabit: tardos creſcet viſura nepotes,
Qui haud aliam illi vix poterunt inducere formam.
Indecores rigido frondes diſpellere ferro,
Truncoſque enodes, dupliceſque a ſtipite ramos,
Divaricare alios, alios protendere oportet.
Quos vero ſtatues altas ſe extollere in auras,
Hos mutiles opus eſt, tali tamen utere lege:
Clauſa cicatricis luſtra veſtigia primae,
Quae poteris tantum, falcem dum ſtringis, et alto
Impingis ramo, binis excedere palmis.
Deciduas frondes obliqua falce putabis,
Ut melius madeat nocturno rore cicatrix.
Quiſque ferat ramus tantum tres denique natos,
Ut late creſcant. Recti qui ad ſidera ſurgunt,
Quique cadunt proni decurta, aſt aera purum

Qui obliqui ſpectant majores omnibus artus
Producant, denſa unde arbos augebitur umbra.
Faſciculos poſthac truncatis conſtrue ramis,
Collectoſque repone domi ſub tegmine ſummo.
Maturis eſt haec bombycibus optima ſedes,
Quando opus egregium peragent docto ore vomentes
Serica fila, et caliculis contracta recondent
Corpora, tergeminaque tuas mercede rependent
Curas: at ſulcos iterum deduc prope Moros,
Sic etenim longe pendentes brachia creſcent,
Ac veluti ſurgunt triplici, et longo ordine Citri,
Murmure qua aequoreo Benacus littora frangit
Melſineae rupis, nemoroſo et vertice Quercus
Silveſtres ſuperant, eductoſque arte lacertos
Oſtentant auris, obducuntque undique truncum
Frondibus, atque una dimenſas lege volutant
Circumquaque comas ſtridenti Aquilone agitatas.
(Melſineae rupes, Benaci littora amoena
Quid mihi curarum olim auxiſtis? quidque laboris?)
Septima vix aeſtas virides caleſecerit agros

Sic pariter denſas imitantes vertice Citros
Aſſurgent Mori, hinc actis laetabere curis.
Durior aſt incumbe operi, praeceptaque in unguem
Noſtra faceſſe. Ut nonum Sol traduxerit annum
Foecunda plenas decerpes de arbore frondes
Ramorum luxum prudenti falce coercens.
Diradiabis ubique comas ex arbore opaca
Ducitur aſtronomis ut paſſim ſphaera rotundo
Orbe, et honoratas pariter memor undique plantas
Protendes, virideſque ſimul diducere coges
Ramos; hac ratione equidem diffuſa ferentes
Brachia temporius, formaque, et robore creſcent,
Jactabitque comas Morus robuſta per auras:
Provida falx etenim formam componit, et umbram,
Quam late in campis arbos expandet adulta.
At vos o juvenes curnam male vivitis annos,
Quaerentes tinctas alio ſub ſidere veſtes,
Moreſque intenti patrios, et vertere linguam?
Quid plenas teritis noctes? quid funditis aurum
Pernoctes? curnam mulcentes pectine crines,

Aſſy-

Aſſyrioque cutem unguento? quid corpora ſomno
Laxantes, veluti glires, tot demitis horas
Labenti vitae? miſeri conſurgite tandem,
Atque aliquid dignum proavis audete vetuſtis;
Aut equites curſu, aut pedites contendite ludo;
Effigiem belli fictis oſtendite in armis,
Ut gentis nomen, patrium ut ſervetis honorem.
Italidum heroum quoties plaudente corona
Pulvere certantum noſtri quondam Amphitheatri
Incaluit campus laudum, et Mavortis amore.
Sic veris aſſueta triumphis agmina adire
Pulchrum erit, et veſtrum late diffundere nomen,
Qua noſtrum quidam Auſtriadum clara arma ſequuti;
Bojaridum aut partes inter diſcrimina belli
Et Genti, Patriaeque decus peperere ſuperbum.
Venantes canibus gaudete, agitate ferocem
Quadrupedem audentes: agros percurrite avitos
Saepius, et pigro dudum torpore jacentes
Excutite agricolas: illos compellite moros
Attenuare crebro indociles, ſuſtollere aratro

Infe-

Infeſtas herbas (nil ſollicitudine herili
Fertilius campis) ſic veſtrum augebitis agrum
Sericio, unde ſagax Gallus, locupleſque Britannus,
Et Theuton ſolers multo mercabitur auro
Congeſtas merces, et culti munera ruris.
Ne potius Cynica videar gravitate ſuperbus,
Quam dulcis vates, victricis faecula Romae
Inſpicite. Agreſtem proceres coluere Quirites
Vitam, qui paſſim aut ſellas habuere curules,
Ut duro abſtractus quondam Serranus aratro,
Sive triumphandos duxerunt agmina in hoſtes,
Agmina, quae domitis populis, regniſque ſubactis
Barbara Romano Marti peperere trophoea,
Furius ut campis abreptus ad arma Camillus.
Sic domitrix crevit terrarum maxima Roma,
Et toti facta eſt longe clariſſima mundo;
Si belli, et pacis, veteris ſi lumina juris
Tanta haud dedignata manus impônere ruris
Indefeſſo operi, dein vero turgidus ira
Cum Mars ingrueret, trans illas ducere ad arma,

Aut

Aut ferre ad ſacrum ſuffragia plena Senatum;
Vos curnam pudeat longas impendere curas
Foecundae Cereri? haud arma, haud infula ſacra,
Haud faſces obſtant: nobis non ſidera ſemper,
Nec crebro tellus tantos maturat honores.
Talibus o juvenes, dum egomet vos urgeo dictis,
Adriaci Patres, qui non ſine numine divum
Felici imperio nobis dant provida jura,
Caeſaris, et Regum praeclara exempla ſequuti
Magna parant nobis. Noſtras meditantur apertis
Liminibus merces populos extendere ad Indos,
Conſtituuntque nova extremis commercia terris,
Sic crevere olim Patres: oblita redibunt
Saecula ſic nobis, opibuſque ingentibus aucta
Aetatis rurſum veteris fortuna reſurget.
Edite regali, atque auguſto ſanguine Princeps,
Qui claram Proavum virtutem, et grandia facta
Exſuperas, cujus Genti immemorabile nomen
Olim Bojaria impoſuit, ſi carmine dudum,
Quae Tibi narravi, excepiſti numine fauſto,

Neu gravis ipſa operis Tibi ſit pars ultima noſtri
Quam exequar exactis Mororum moribus, unde
Bojaridae diſcant pleno diteſcere fructu
Arboris, et non incaſſum mea carmina volvant. 774



MO-

Digitized by Google

MORORUM

LIBRI III.

LIBER III.

Digitized by Google

Digitized by Google



LIBER III.

Foecundas, laetiſque oneratas frondibus audax
Nunc dicam Moros, plenoſque ex arbore fructus
Numine, Muſa, tuo, quo mens agitata caleſcit!
Radices, animam, et fibras tentabo latentes,
Morborum cauſas, naturamque arboris, et vim
Inſpiciam, et legem plantis imponere adultis
Induſtres dominos una, tardoſque docebo
Agricolas: felici igitur modo numine poſco
Te, Dea, difficilemque abſolvas, quaeſo, laborem.
Pierio rurſum campeſtres vertice Muſas

Deducam, ſertumque Tibi referam, Optime Princeps,
Mororum fronde, et Bombycum munere textum;
Non equidem aſpernanda putes mea munera, namque
Haec jam recluſere vias emptoribus aptas
Per medios montes, perque invia luſtra ferarum,
Quae tantum patuere armis Aquilone nivali
Eruptis olim, et Latio peperere ruinam.
Aſt ope bombycum, et Mororum fructibus auctis,
Converſis tandem ſtudiis modo comparat aurum
Agricolis campus, qui acris diſcrimina Martis
Suſtinuit. Veterum penitus veſtigia tandem
Ruricola irarum delevit. Summo ab Olympo
Hoc Jovis edixere tubae meliora ferentes.
Vos nemorum altrices Nymphae, Populonia mater
Hippona, et Matuta fragrans, Lacturea dives,
Me arboreas leges, terrae, occultamque docete
Virtutem Solis; de fluviis, ſilviſque parumper
Egreſſae incultos campos, vacuoſque novales,
Colleſque apricos faciles percurrite mecum,
Mororumque ſimul formam, moreſque ſequamur.

Me modo frondenti maturus ab arbore fructus
Excitat agreſtes expromere arundine verſus;
Nunc etenim Mori formaque, et corpore adultae
Percurrunt decimum redeuntis temporis annum,
Et Domini curam poſcunt, curamque coloni.
Jamque nives tepidis gelidae ſpirantibus auris
Labuntur paſſim prona de valle ſolutae,
Germinibuſque ſuis tellus rediviva tumeſcit.
Jupiter omnipotens effuſis imbribus arva
Magnus alit, ſegetes foecundat, laetaque prata,
Arboreumque genus permulcet lenibus auris
Vere novo. Tum Morus nitidiſſima primam
Se induit in frondem, et ramos protendit in auras,
Maturoque ſimul pubeſcit vivida foetu.
Haec ubi: lucenti invertendae vomere glebae,
Ut radiis Titan, foecundiſque imbribus aer
Radices foveat maceratas frigore crudo,
Herbarumque ſimul pereat genus omne nocentum;
Sed quas non valuit curvum divellere aratrum,
Sunt extirpandae marraque, manuque potenti;

Sic

Sic equidem agricolis mercedem Morus avaris
Reſtituet, pinguemque dabit bombycibus eſcam.
Frondator doctus virtutem noſcere Mori
Brachia diducat ſeros alitura nepotum
Bombyces, quæ altas expandent undique frondes.
Tollere proceram frontem arbos incipit annos
Ante decem, et plenos circum diffundere ramos.
At quoties trinum Phoebus perfecerit orbem,
Tunc opus eſt toties runca praecidere ramos.
Demiſſas nimium frondes, nimiumque ſagittas
Elatas caeſim prudenti corripe ferro.
Indociles Moros prima componere forma
Nunc opus eſt equidem, atque illas protendere in orbem,
Ut paribus creſcant formoſo à vertice ramis.
Non runca dubites longam reſcindere frondem,
Communem ne aliis totum bibat improba ſuccum.
Plura licet pubeſcentis contagia vitae
Fugerit, heu graviora aetas matura minatur
Moris, quae exhauſto vitali humore virentes
Arefacit frondes. Solerti indagine plantae

Sunt

Sunt quaecumque igitur luſtrandae. Saepe niteſcit
Dum cortex fuſcus, ſcabies teterrima foedat
In primis truncum, ramos inde inficit omnes,
Et fibras intus ſecretas intima tentat,
Erumpit demum toto de cortice victrix,
Et miſeram invadit Morum ſine lege, furenſque
Creſcit ubique lues, flavoque ſimillima muſco
Occupat atroci totam ferrugine plantam,
Unde cutis nimium turgens concreta retrudit,
Quem paſſim nititur natura expellere, ſuccum:
Quapropter miſere vitiatur vividus humor,
Frondibus et paſſis arbos oppreſſa fatiſcit,
Imminuitque comas, aegrotaque languet in agro;
Unde cito aut moritur, tenui aut ingloria fructu
Languida traducit miſerandae tempora vitae.
Non ſecus ac juvenis, quem invadit Celtica peſtis:
Diſperit in primis illi vigor, atque juventae
Flos primus, vultuque haerent ſquallentia labra,
Funereuſque color tumido perfunditur ore,
Corruptumque lues hebetat mucoſa cruorem.

Dureſcunt artus: tubercula corpore triſti
Concreſcunt: ſtillat caries ex oſſibus aegris,
Flaveſcitque cutis ſanie, contractaque membra
Depaſcit tabes, obſcoenaque puſtula ſoedat
Languentes juvenis carnes, miſerabile viſu!
Unde cito aut moritur, turpi aut inglorius ore
Morbida traducit miſerandae taedia vitae.
Si mihi, Sericidae, coeleſti lumine fauſtae
Perfulſiſtis adhuc, veſtro ſi numine curſum
Haud falſum tenui, circum caligine tetra
Me obductum regite, et dubio ſuccurrite vati,
Viribus unde auctus, veſtroque et numine doctus
Ignotas morbi cauſas claro ordine dicam,
Et curam doceam agricolas, uſumque medendi
Foedatas ſcabie, flavaque rubigine Moros.
Degeneris crebro telluris conficit humor
Ingratus plantas, ſaepiſſime vulnera aratro
Impacta incuſtodito, quandoque coloni
Deſidia, interdum graviori agitata Boote
Aura: tamen quaecumque atrae ſit peſtis origo

Ne

Ne unquam deſperes : Cereri confide ſecundae.
Saepius afflictam tellurem paupere ſucco
Mulcebis raſtro aſſiduus, marraque frequenti :
Hinc terra, quae bello, armiſque volatile nitrum
Praebuit, ubertim radices occule egenas,
Unde fimi ſalſo Morus tepefacta calore
Tabificum extrudat foedo de cortice ſuccum;
Namque humor vacuos ſumma a radice meatus
Acrior ingreditur, ſurſumque attractus apertas
Arboris invadit fibras, adituſque comarum
Irrigat, unde redux iterum, duplicique per haſtam
Circuitu properans refluit, curſuque perenni
Radices iterum rapidus deſcendit ad imas,
Inde pius ſuccus morbum atrae peſtis acerbum
Mutabit, ſpeciemque diu amiſſam induet arbor.
Si vero internae fuerint impreſſa medullae
Vulnera, tunc ullum haud juvat impendiſſe laborem,
Dilaceratae etenim fibrae, ſciſſique meatus
Manantem ſumma humorem a radice retundent,
Plantaque vitali ſucco morietur adempto,

Quam ſubito avelles campo, flammiſque vovebis.
Arboribus procul a teneris deflectere aratrum
Diſce, boveſque manu cohibe, loriſque coerce.
Si levior fuerit vero, et moderata cicatrix,
Protinus illam operi taurorum ſtercore vivo,
Semeſaſque epulas Bombycum non ſine multis
Sparge inibi lignis putribus, coenoque viarum,
Quod terra circum injecta tumulare memento,
Quin etiam poteris contingere vulnus amurca,
Sic etenim cernes laceratum creſcere librum,
Et rurſus truncum renovatam obducere pellem,
Foedamque expelli tereti de cortice tabem.
Si vero torpentis inertia pigra coloni
Intulerit Moris labem, tu protinus illum
Percute, caede, abige e laribus, duraeque triremi
Trade. Indefeſſum agricolam dein ſuffice primo,
Qui runca inſtauret ſolers, et vomere plantas.
Ventorum vinces rabiem, ſeptemque trionum,
Si infundes calidoque fimo, tritoque viarum
Pulvere tellurem: tellus namque aucta calore

Trun-

Truncum emuſcabit, nitidataque planta reſurget,
Unde novus toto decurrens corpore ſuccus
Paulatim ramis amiſſum reddet honorem.
Indecores hederae emaciant a ſtipite Morum,
Si trunco haerentes circum innitantur amarae.
Peſſima ne frons immodicis geminata flagellis
Strangulet oppreſſas adſtricto a corpore fibras,
Providus hanc miſera divellat ab arbore cultor,
Radiceſque ſolo totas deturbet ab imo.
At vos uxores caſtae, innuptaeque puellae,
Quas juvat aſſidue ſtudia exercere Minervae,
Serica ducentes variis contexta figuris
Fila, atque egregium fingentes geſta virorum,
Veſtrum opus ipſe cano cultis mea carmina Muſis
Dum ſacro, et tenui modulatus arundine tardum
Edoceo agricolam, ut viridem bombycibus eſcam
Augeat, hique operi inſudent feliciter, atque
Materiam vobis largam, veſtroque labori
Exhibeant. Dum igitur recubo ſub tegmine Mori,
Aeſtivo recreans languentia membra calore,

Hic precor, hic dudum praeſentes flectite greſſum,
Ferte citae flores, ſacrum mihi nectite ſertum,
Carpite frondentes, certatim carpite frondes
Mororum, noſtraeque coronam imponite fronti.
Munere ſic veſtro tota conſpectus in urbe
Clarorum paſſim patrum, vulgique loquacis
Monſtrabor digito: merces haec maxima vati.
Sed quo digreſſus ſuſpenſo remige curro?
Me revocant alta majores arbore Mori,
Incoeptuſque labor rurſus mea carmina poſcit.
Denique poſt varios hyemes expleta tumenti
Aetate, et foliis, duriſque onerata lacertis
Aemula Chaoniae Quercus modo vertice ad auras
Se extollit Morus, proceraque occupat umbra
Tellurem, patulaſque comas circum undique pandit,
Suſtinet inconcuſſa Notum, non flectitur Auſtro,
Sed leviter Zephyros, auramque animoſa laceſſit.
Quiſque licet fortis mortali veſcitur aura
Magna pati crebro didicit: natura ſubegit
Legibus his omnes. Quapropter Morus et ipſa

Saepe

Saepe ſuos patitur morbos, queis ſaepe laborans,
Sit licet Eurorum victrix, quandoque ſupremo
Occumbit fato: vigili modo lumine circum
Luſtra igitur plantas. Acris primordia morbi
Scrutare in primis, aegrotaeque inſpice motus
Arboris, ut facili morbum medicamine vincas.
Sanabis vero plantas; ſi pronus aratro
Incumbes. Nullum veris tibi tempus amicum,
Nullum autumni abeat, non aeſtas ulla, priuſquam
Suppoſitos Moris unco bis vomere ſulcos
Verteris. Aetherei ſummus ſed Rector Olympi,
Qui terrarum, hominumque vices, pecudumque gubernat
Aetatem, arboreum ſimili genus ordine ducit;
Deſine mirari idcirco, quod ſaepe laboret
Acta repentino Morus Thysbaeïa caſu
Fatalem caſum ignota ratione movente.
Explicat interea ſegetes mitiſſimus annus,
Flore coronat agros, auget naſcentibus herbis
Prata, et ubique ornat ridentia floribus arva.
A viridi ramo dulciſſima mora tumeſcunt.

Moro-

Mororum foetus pendent a frondibus altis,
Bombyceſque ſimul poſcunt ſua pabula adulti.
Hinc juvenum robuſta manus committere Moris
Feſtinet ſcalas : nuptae, innuptaeque puellae
Linteolis adſint gremium, zonamque ligatae;
Conveniant ſacco inſtructi de more coloni:
Conſcendant ſcalas, Mororum brachia ſcandant,
Innixique pedes elato in vertice figant.
Certatim vero mediis conſidere ſcalis
Sit fas foemineis manibus; diſcrimine nullo
Unde exercebunt iſtae ſua munera, et illi
Corripient ſumma fluitantes arbore frondes.
Sollíciti curent igitur decerpere paſſim
Huc folia, at caveant inverſo ne ordine ramos
Delibrent. Teneris virgultis parcite, quaeſo,
Agricolae induſtres; graciles abradite frondes
Molliter, atque manu laeva capita alta tenete,
Dum dextra legitis plenam bombycibus eſcam,
Quam ſubito ſaccis leviter componite apertis,
Mitibus at manibus, graviori pondere in ipſis

Ne compreſſa nimis ferveſcat. Si Philomela
Proh pietas! infandi deteſtabile regis
Ploratura nefas violento crimine laeſa
Forte cavum Moro nidum ſuſpenderit altae,
Foeto utero nuper pullos enixa tenellos,
Neu ſedem violato olim temerate pudori.
Hos miſerae dederant pia numina nempe receſſus,
Cum leviri inſtarent cruda arma, manuſque ſceleſtae;
Concentu mulcebit avis gemebunda labores,
Dum viridi e ramo teneras circum undique frondes
Carpitis. Interea conceptos dicite amores,
Auditos facili modulamine reddite verſus,
Scilicet egregias forma, et virtute puellas
Dicite, quaeve icto trahitis ſuſpiria corde.
Tu Niſam Meliboee tuam, tu Mopſe Lycorim
Terque, quaterque voca; illae alterno carmine vobis
Acceptas referant voces, ut ſaucia dudum
Pectora amore gravi foveant: ſic dulcior aeſtus
Solis erit, leviorque labor: ſed mitia mora,
Quae dilabuntur concuſſa ex arbore paſſim,

Ne fruſtra pereant natorum turba minuta
Hic anatem cogat, gallumque, ſuemque rapacem
Diram expleturum ingluviem, puerique loquaces
A ſummo paſſim dilapſas vertice frondes
Excipiant circum vigiles, calathiſque reponant.
Collecto ſubeant oneri, celereſque viciſſim
Tecta petant expectati, vetulaſque reviſant
Liminibus ſtantes, et rauca voce maritum
Clamantes, natoſque, nuruſque, ſimulque nepotes.
Tum vero uxores, pueri, teneraeque puellae
Inſtaurent thalamos bombycum pabula curva
Crate miniſtrantes Serpilli ceſpite olentis,
Sive Thymi nigras verrant circum undique ſordes,
Amoveantque dapes ſemeſas, (providus illas
Injiciat cultor Mororum ſtirpibus aegris,
Morbida ut arbos convaleat.) menſaſque nitentes
Exonerent avidis optata a vermibus eſca.
Non tamen a viridi maturas arbore frondes
Decerpant, donec nocturno rore madebunt,
Aut molles forſan ſtillabunt imbre diurno;

Humi-

Humida, nec fallor, bombyces eſca necaret.
Aura igitur lenis, naſcentis vivida Solis
Hauriet humorem virtus, ſic pabula bombyx
Optima guſtabit. Cultorum turba viciſſim
Exeat e laribus runca, validaque bipenne
Inſtructa, et properet celeres reflectere greſſus,
Qua nudas foliis Moros, et fronde reliquit.
Jam tempus falcem deformi inducere Moro:
Frondator luxum reprimat runcone tumentem
Providus, et legem ramis imponat ineptis,
Ut quiſquis frondes emittat vividus aequas,
Induat et pulchram patulo de corpore formam.
Indecores igitur ramos, et brachia crudo
Fracta gelu, pluviiſque hibernis flaccida ferro
Obtruncanda gravi, laevi ſed vulnere, ſuccos
Ne rimoſa cutis vitales expuat. Inde
Spiſſas attenua frondes, et inutile pondus
Ramorum male creſcentum, gemmaſque daturis
Frondibus imminues triſti ligna aegra ſenecta,
Ne immodicis Morus ramis oppreſſa gravetur;

Immo liberius deducto a vertice ſurgat.
Qua folia, et fructus produxit rarior arbos,
Qua Boreas rabie, qua ſaeviit horrida grando,
Nec falci ſtultus parcas, rigidaeve bipenni,
Sed ſit inexorata manus latura ſalutem
Arboribus. Dextra forſan, ſeu parte ſiniſtra
Indocilis ſi ſe effundat de vertice Morus
Exiguos fraudans materno humore lacertos,
Runca levis crepitet circum, et ſonet icta ſecuris,
Arboris unde comae curvum ducantur in orbem,
Et pars ramorum ſurgat, pars jugera verrat,
Et pars circumquaque apricas verberet auras.
Arentes frondes, hirſutas decute virgas,
Scinde a ſpinoſis media internodia ramis,
Aſpera ne turpem attollant haſtilia frontem,
Ne indecor a triſti Morus capite explicet umbram.
Si veteri macie forſan, morbove laboret,
Annorumque gravi calveſcat pondere, cuncta
Caede indiſtincte ſtridenti haſtilia ferra
Vertice denudans Morum; ſed vulnera acuto

Obliqua ferro, ut dilapſi ex aethere nimbi
Decurrant faciles, ne fibras, ne forte medullam
Arboris inficiant, etenim miſerabile fatum
Illi impenderet. Laevi de vulnere plures
Naſcentur rami, teneramque adoleſcere plantam
Hinc cernes: cui tu noto ſuccurre labore,
Scilicet aſſiduus digitis, et falce recurva
Hinc, atque inde premes, nimias ne effundere frondes,
Neve comis circum valeat ſilveſcere vanis.
Ipſe egomet latere abſciſſam perſaepe ab utroque,
Aſpexi Morum, exteriore et cortice tantum
Stantem, namque intus pluviae, hibernique rigores
Commixti nivibus, ſicca aeſtas, mollis et imber
Effinxit ſimilem fungis a ſtipite plantam,
Quae a putri effluxit paulatim flacida ventre;
Attamen a ſummo obtruncatus vertice truncus
Emiſit teneras frondes, ramoſque novellos
Protulit, unde novum rurſum inſtaurata per aevum
Arbor opaca, tumens, viridiſque revixit in agro.
Meſſibus a primis hunc vero abſolve laborem,

Intimus ut frondes orituras augeat humor,
Et prius a tepido cedat quam ſidere Titan,
Namque novam referens prolem quaecumque cicatrix
Imbriferos ventos, hibernaque frigora abhorret.
Dum manibus falcem tractant, verſantque bipennem,
Agricolae, uxores, pueri, mollesque puellae
Certatim ſubeant Moris, et grandia parvis
Brachia ſecernant ramis, quos inde reſectos
Tortilibus nectant virgis, aptentque maniplos,
Faſciculoſque manu preſſos (bombycibus apta
Haec ſedes, ſaturo tandem cum corpore fila
Deducent) alti referant ſub culmine tecti,
Atque uti ſurgebat ſilva ipſa, ita quemque reponant,
Ramique exiles altas vertantur in auras.
Annoſus truncus, gravioraque brachia plauſtro
Tardo imponantur, bobuſque trahantur ad aedem,
Quae duris ſubito cuneis ſcindantur, ut igne
Fornaces olim foveant, cum nempe lebete
Undanti huc illuc fluitabunt ordine nullo
Folliculi, excoriata manus cum ſerica fila

De-

Digitized by Google

Deglubet putres denudans ſtamine vermes.
Nec mora: nudatas vix falce putaveris unca
Plantas, depreſſos pluviis extollere aratro
Curabis ſulcos, glebaſque invertere inertes.
Lecta diu Morus, duroque exculta labore
Degenerat quandoque ferens ſilveſtria circum
Germina, ſpinoſiſque diu jacet horrida ramis.
Hanc igitur foliis melioribus inſere. Quare
Mororum propriam generatim percipe primum
Naturam, frondes, morem, patriamque figuram,
Celſa ut adoptatis cumuletur fructibus arbor
Quae majore viret folio nitidiſſima Moris
Optima porro inſtaurandis virgulta miniſtret.
Ingrato reſeca totas a vertice Moros;
Sed quatuor virgas ingentia vulnera circum
Serva, quas caeſim prudenti ita falce putabis,
Ut nudum exiguo excedant vix pollice truncum.
Sit leve, ſit nitidum vulnus, ſit, quaeſo, rotundum,
Unde cito valeat reſciſſum obducere librum.
Scirpicula cunctos findes, totidemque cuique

Inſige exertas meliori de arbore virgas,
Quas cuneo aſſimila: mediam neu rima medullam
Dilaceret; runcone etenim disjuncta periret.
Surculum ut immittas melius, ſit rimula laevis,
Inſertum germen molli circum obline luto,
Quod leviter poſthac intorto vimine vinci,
Arbore ab antiqua ut manans nutricius humor
Intruſae penetret virgae nullo objice fibras,
Commixtuſque novis ſuccis acquirat eundo
Ignotas vires, alienigenoque vigore
Praeſtet, et alterius frondes, foliique figuram
Mutet in alterius tandem nova mora daturus:
Cultores igitur generatim quaerite mores
Arboris, et ramos ſtudio lenite feroces.
Surculus inſertus ligno, qua prima tumeſcit
Gemma, recidatur; citius ſic munere pleno
Inſitio reſpondebit. Lex unica cunctis
Non erit haec equidem. Ducit ſua quemque voluntas.
Scarificant alii nitido de cortice librum,
Qua media mollis detruditur arbore gemma,

Digitized by Google

Quae tenuis, foecunda, nitens, quadrangula in unguem
Ut ſit, praemoneo; ſterili dein hanc ita Moro
Adjunge, ac veluti doctus lapicida Sicanum
Teſſellat marmor, ſimili caela inde figura
Ingratam tunicam, exertum cui ſuffice librum
Arbore ab incolumi, quantum perpeſſa cicatrix
Poſtulat, et coeno juncturas obline putri;
Sic novus hic hoſpes non longum tempus, et ingens
Degenerem laeto renovabit termite Morum;
Quae exuet agreſtes mores, artemque ſequetur.
Saepe alios vidi exiguo detrudere ramo
Intactum librum, ut videatur fiſtula vana,
Qua pueri volucrum ſimulantes ſibila turdos
Retibus excipiunt, laqueis, viſcoque tenaci;
Arboris aequiparem mutilant virgam prope truncum,
Malleolum et leviter denudant cortice plures
Diviſo in partes, illaſque parumper in altum
Extollunt, caulem nudum dein fiſtulae in unguem
Includunt uſque ad ſciſſuras corticis imas,
Impoſitum quibus obducunt tubulum, inde novellum

Malleo-

Malleolum uno; et eodem exaequant vulnere caeſim,
Diviſamque ſimul jungunt circum undique pellem
Faſciolae in morem. Pars vero corticis uda,
Quae gemmam profert, coelo ſit libera aperto,
Ut tunicam valeat citius diſrumpere mollem,
Germinet ut lectus nudo de vertice ramus.
Ceu cuneum exacuunt alii virgulta, caputque
Mororum ſcalpro findunt, hinc rimula truncum
Recta aperit paſſim figendis viſcera natis.
Tu virgas igitur Moris immitte trigemmes;
Poſtea amurca operi, pinguive bitumine rimas
Antiqua juvenem componens arbore ramum
Sic Moro poteris felicem adſciſſere fructum
Optatas frondes adeo, et folia ampla alituræ,
Frondibus unde novis jamjam lectiſſima Morus
Exultans feriat coelum, ventoſque laceſſat,
Et denſa agricolas ramorum protegat umbra.
Qualicumque igitur libeat lege infere Moros,
Dummodo tu elicias foecunda ex arbore germen
Maternam frondis ſpeciem, foliique nitorem

Per-

Perſcrutans. Totum vero perſolve laborem
Axe prius Phoebus quam ſidera Virginis intret,
Ut commiſcendos foveat clementior aura
Succos. Sic mirando exibunt foedere junctae
Impoſito ex oculo frondes, Morumque docebis
Mollitam induſtri cura, vigilique labore
Ferre novum fructum, atque novis ſilveſcere ramis.
Tu mihi Maecenas, noſtri Tu dulce laboris
Praeſidium, ſi inter gravium tot pondera rerum
Ad noſtras deſcendes Muſas, Optime Princeps,
Sudatas forſan non aſpernabere curas,
Dum mecum Moris decurres carmina ſacra.
O utinam faveat Phoebus, neque munera ruris
Pauliſper, cultoſve agros luſtraſſe pigebit.
Talia dum doceo agreſti modulatus avena,
Fatidico feror ipſe Deo: memoranda Quiritum
Tempora, Vindelicaſque vices, Gothicumque furorem,
Francorumque dies, Germanica, Iberaque ſaecla,
Quae imperio Auſoniae populos tenuere vetuſtos
Praeſentique revolvo animo, claraque voluto

Digitized by Google

Mente. Peregrinis contextum veſtibus aurum
Geſtabant humeris, phrygioque labore micabant
Veſtales, Salii, Matres, ſanctuſque Senatus.
Stragula carpentis fluitabant ſerica raris,
Illaque Perſarum mittebant littora avara,
Aurique ingenti ſtabant pro pondere. Lana
Te ornabat Caeſar Tyrio fucata colore:
Lanigeram chlamydem veſtitos Roma triumphans
Auguſtos perſaepe ſuos excepit ab Iſtro
Devicto reduces, Rhenoque. Hos barbara amictus
Italia et regum vidit, quos ultima tellus
Littoribus miſit Gothicis, crudele flagellum.
Tunc ſegnis tanta contentus meſſe colonus,
Quanta famem apta foret miſero ſaturare diurnam
Jugera pauca rudi paſſim ſubigebat aratro,
Caetera quercetis ſilveſtribus obſita, duris
Aut conferta rubis, hirſutiſque aſpera dumis
In pecudum late cedebant paſcua aperta.
Ut tamen aſſiduo Moros coluerè labore
Agricolae, Italicae creverunt protinus urbes.

Veſtibus ornatae comptis fulſere puellae,
Matronaeque graves. Rigidis nunc taenia verum
Serica ruricolae gaudent aptare capillis,
Sericeis ſponſae agreſtes fulgere theriſtris,
Et paſſim bombycum oſtendere munera gaudent.
Et merito. Haec etenim ſunt munera veſtra: labori
Debemus veſtro bombyces ſerica fila
Ubertim nobis veſtro de rure ferentes.
Anxia ſit vero domini, ſit prima coloni
Cura manu induſtri, ferroque incumbere Moris,
Sic etenim agricolae, cives ſic ubere fructu
Gaudebunt. At dum huc illuc mea muſa vagantem
Me ſequitur, putri ſquallentem cortice Morum
Indicat: haec lacerata comas ingloria languet,
Aridulisque riget foliis, et ſine frondibus umbram
Rara ſolo ſternit. Morbum miſerae intulit acrem
Turba inſectorum triſtis: gens multipes, atris
Cimicibus ſimilis Moros a vertice ad imas
Turmatim invadit plantas, et conficit ore
Tabifico, tactuque immundo brachia, ramos,

Et frondes, miſera unde arbos ſine honore fatiſcit.
Turpi afflicta licet morbo ſanabitur arbos,
Et facili vero impenſa, tenuique labore,
Scilicet aut igne, aut ferro medicamen habebis.
Suppoſita aegrotis ſunt qui ſarmenta minuta
Accendunt Moris augentes ſtramine flammas,
Unde calor, fumuſque volans haerentia ramis
Inſecta externat, ſummoque ex arbore paſſim
Labuntur dejecta ſolo, flammiſque cremantur.
At calor indomitus miſeris ſaepe ultima Moris
Fata tulit, ſummoque arſit de vertice planta:
Haud ſalus eſt igitur tanto quaerenda periclo.
Confeſtim validam in Morum molire bipennem,
Et fragor alternus vicinis intonet agris,
Brachia celſa cadant, frondeſque, unde ardua Morus
Deſinat informem in truncum: ſed ligna reciſa
Collige, et exiles ramos, fragmentaque circum
Lurida, ne rurſus foedent animalia Morum:
Tardum onera ſubito ſquallenti pondere plauſtrum,
Et tranſmitte procul funeſtae alvearia peſtis.

Vul-

Digitized by Google

Vulnera magna dehinc ferro nitidabis acuto,
Ceu faber ipſe dolat paſſim tornatile lignum:
Creſcere ſic tota Morum cervice reſecta
Paullatim aſpicies, juvenemque adoleſcere plantam.
Quandoque indecori ſcabroſus tubere venter
Prominet, et denſos ramos, circumque malignas
Progenerat frondes, alimentaque debita toti
Imminuit Moro, quae aegrotat ſquallida ramis.
Infeſto facili ratione medebere morbo,
Si penitus valido erueris runcone tumorem,
Et plagam ſolers abrades parte ab utraque,
Unde novus cortex impreſſos obſeret ictus,
Defluat et liber rurſum, et nullo objice ſuccus
Vitalis fibras penetret, tenueſque meatus.
Quapropter crebro mordaci cote novabis
Runconem, ut caeſim languentia brachia demas.
Finditur interdum Mororum fiſſile corpus,
Stillantique ſcatet rima putredine mixtus
Mucor, non ſecus ac Ceraſo pellucida gummis
Emanat. Plantae vero ſanabis acerbam

Proluviem facile, illi ſi coenumque negabis,
Foecundumque lutum: nimia pinguedine tellus
Ebria quandoquidem nitidam Morum opprimit, humor
Unde obtuſus hebet, tumidoque e cortice ſuccus
Morbidus exſudat, totique advolvitur haſtae,
Et vagus huc illuc vitalem diſſipat eſcam.
Utilium tardus proviſor ſaepe colonus
Diductis circum lucenti vomere ſulcis
Thysbaeas plantas affligit ſemine iniquo,
Exiguum collecturus, vel farris acervum,
Vel milii. Hanc, quaeſo, à Moris avertite peſtem:
Radices etenim compreſſae a pondere turpi
Seminis, et frugum, nec rores noctis amicos,
Nec pluvias potant lenes, ſed Sole cremantur,
Dum Canis aeſtivum percurrit torridus orbem,
Et furit ignivomus. Quapropter languida Morus
Demittit ramos, frondeſque hinc contrahit aegras.
Attamen innocuos ſulcis mandare lupinos
Aſſueſcunt alii, radices unde leventur,
Sole repercuſſus ferventi dum aeſtuat aer.

Poſtha-

Poſthabito fructu ſtipulas dein vomere ducto
Frondentes, foliumque virens, et germina craſſa
Subter humum ſternunt, Moros ut pinguior eſca
Nutriat, et vivum duro de ſtipite ſuccum
In patulos cogat ramos, frondeſque minores.
Quot curas, et quanta ferax ſtudia exigit arbos!
Diſce igitur vigili ſudare labore: monenti
Crede mihi: haud pigeat praecepta faceſſere paſſim
Singula. Quas tibi tradidimus, Latous Apollo
Nos nunquam leges docuit, ſed ruſtica Muſa,
Muſa aſſueta humili meditari carmine fontes,
Prata, boves, plantas, ſegetes, plenoſque racemos.
Nos hominumque, Deumque fidem teſtamur in unguem
Talibus indulſiſſe modis, Moroſque ſuperbas
Eduxiſſe brevi ramis, foliiſque comantes.
Te labor, aut ſudor, ſumptus non terreat ingens
Experiare, precor, gracilis monimenta poetae
Non rerum ignari. Hoc ſtudium nulli aptius aevo
Quam noſtro; cultas etenim nos poſcimus aedes
Rure palatinas imitantes Caeſaris aulas,

Con-

Conſtruimuſque lares peregrino marmore, et auro,
Regeſque immodicis aequamus ſumptibus. At ſi
Cura tibi fuerit Mororum incumbere curae,
Et tibi ſerica ſtrata aderunt, et ſtragula inempta,
Conopoea, torique aderunt, et inempta ſupellex,
Unde domus circum fulgebit divite gaza,
Et tandem nimium vexata crumena quieſcet.
Vos modo Mororum altrices, nemoriſque virentis
Cuſtodes adeo vigiles mea numina Nymphae,
Rurſus adeſte, precor, mihi, et adſpirate canenti.
Magnum opus aggredior, naturae incognita tento
Mororum ſcrutari auſus contagia ſaepe
Indomita, et raro agricolae patientia curam.
Occultam, quaeſo, faciles mihi pandite tanti
Naturam morbi, et fauſtae mihi, ſiqua medendi
Sit ratio, monſtrate, viamque docete ſalutis.
Quod ſi vota mihi expleta, preceſque redibunt,
Mororum vobis ſerto ſacra tempora cingam,
Donaque bombycum delubris ſerica veſtris
Imponam, veſtrumque memor pia ſacra quotannis

Inſti-

Inſtituam, et feſtum cogam paeana puellas
Concinere, et meritas laudes, grateſque referre.
Saepe ego, cum cogit meſſores ſiccior aeſtas
Tondere auratas meſſes, annique labores,
Jupiter infandum, et nimium miſerabile viſu!
Delicium domini, et vicini ruris honorem
Aſpexi Morum paſſos demittere ramos,
Et folia exigua, et frondes criſpare ſupinas,
Et totam rigida circum flaveſcere pelle,
Unde repentino mutat ſquallore vigorem
Ingenitum, et primam ſpeciem variata, decuſque
Occidit, ignotoque areſcit mortua fato.
Hinc ſtupidi circum pueri, flenteſque coloni
Mirantur caſum, quaeruntque exordia morbi,
Sanandique artem ſtudio meditantur inani.
Tot vero ambages vanas, lacrimaſque tot inter
Contiguae pereunt Mori, et diſcrimine nullo
Occumbunt paſſim quaecumque ſequuntur eodem
Sulco, nec ſaturata lues compeſcit acerbam
Eſuriem, donec ſuprema arbos alimenta

Imminuat, peſtiſque adverſam ſubtrahat eſcam.
Si correpta domus ſubito forte aeſtuet igne,
Accenſaeque trabes crepitent, glomeratur apertis
Liminibus fumus, ſumma dominantur in aede
Victrices flammae, et vincunt incendia culmen.
Clamor ubique, pavorque vias invadit, et auras;
Errantes circum crinem, zonamque ſolutae
Accerſunt matres natos per tecta morantes,
Amplexamque manu avectant aede puellam,
Implicituſque manu ſequitur, non paſſibus aequis
Hunc natu major: coelum clamore mariti
Exſurdant, patriiſque ululantes poſtibus haerent
Multa Deos, hominesque iterata voce precantes.
Accurrunt cives, ſcalas, lymphamque miniſtrant,
Plenoſque urceolos effundunt culmine ab alto:
Attamen indomitas volvunt incendia flammas.
Tecta exeſa ruunt: fumat tota inſula circum,
Vicinaeque domus paries jam fervidus ardet:
Proxima jamque furor flammarum tecta minatur,
Atque inſperatae reſtat ſpes nulla ſalutis.

Digitized by Google

Inſula tota ſolo penitus ſubverſa jaceret,
Conſilio ni forte ſenex maturus, et annis
Diruere oppoſitos circum magno impete muros
Suaderet cives, ſubtracto unde objice flamma
Saeviat incaſſum, vacuas vaneſcat in auras,
Et collapſa ſolo tandem ſine lumine fumet.
Annoſas furibunda lues ſimili ordine Moros
Aggreditur, cui non ſtudium, aut vis nulla reſiſtit:
Nam triſti vitiata ſolo, corruptaque morbo
Vicinae radix robuſtos arboris artus
Conficit, et ſuccum nullo diſcrimine foedat
Vitalem, unde arbos tabeſcit mortua campo.
Morbidus occultis primum radicibus humor,
Neſcio quo pacto, ſenſim ſeſe inſerit, hiſque
Corruptis ſimul inſiſtit violentus, et haeret
Mordicus, unde gravi circum funduntur odore
Peſtis ubique furit late contagia volvens.
Forte venenatam Mori ſi proxima radix
Radicem tangat, mortalem haec ebibit intus
Humorem, qui paullatim contaminat illam,

Unde omnes paſſim caſu miſcentur eodem;
Sed tantam nunquam peſtem, mihi crede, domabis,
Ni ſubito eripias graſſanti pabula morbo.
Quapropter ſolers morientem a ſtipite plantam,
Quo nunc inſtituam, convelles ordine. Primum
Confodies terram, donec abſtraxeris acri
Confectas vitio radices: ictibus inde
Concuties crebris Morum, ut tremefacta ſuperbo
Vertice procumbat praeceps, quae pondere lapſa
Ipſa ſuo omne capillitium fovea eruet ima,
Quod marra, validaque manu, notoque ligone
Funditus evertes. Foetenti peſte jacentem
Expurgabis humum, ſi eradicaveris alte
Singula fila, licet tenui leviora capillo,
Quae vaga ſecretae reptant per viſcera terrae,
Atque aliis glomerata ſimul, lacrimabile dictu!
Contactu maculant turpi quaſcumque ſubinde
Culta illic tellus foecundo alit ubere plantas,
Quae nigrae nunquam eripias e limine mortis,
Ni ictibus elato concuſſas vertice Moros

Sol-

Sollicitus binas convellas parte ab utraque,
Antiquaſque domos, vetereſque relinquere nidos
Attonitas cogas volucres, et tendere in auras.
Morbus enim morbum generat, vireſque reſumit
Indomitus, vitium diffundit, funera ſternens
Contiguas intra plantas, Moroſque colonum
Obterit ex oculis, laſſiſque vagatur habenis.
Ignaro agricolae, et nimium ne crede ſuperbis
Frondibus: arbor enim conceptam reprimit intus
Paulliſper peſtem, qua denique victa peribit,
Alta licet foliis auras, ramiſque laceſſat.
His autem ne forte putes me excedere verum,
Exere concuſſa tenues ex arbore ſtirpes,
Quas tu ſi olfacies turpi foedatus odore
Naribus experiere tuis, quod carmine agreſti
Muſa mihi inſpirat, quodve experientia monſtrat,
Tentatam et tactu linguam torquebis amaro.
Non caveis cupidus viduatis arbore rurſum
Committes Moros, niſi hyems autumnus, et aeſtas,
Et ver bis revehens alto ſua ſidera coelo

Imbre, gelu, ventis, ſiccoque calore, maligno
Corruptam contagio humum purgaverit. Inde
Mortiferum flammis humorem diſtrahe, donec
Attractas fumo vacuas vaneſcat in auras,
Exhauſtae ut flammis, dilutaeque imbre ſerendis
Sint foveae Moris habiles: Hanc exigit artem
Deteſtata lues; quam ſi neglexeris amens,
Infelix quaecumque foret ſatio, irritus omnis
Inde labor Moris, et quivis ſudor inanis.
Sunt etiam caveas ſaxis qui ingentibus altas
Sternunt, ut tellus exhalet aperta mephitim,
Cum primum Moros plantant de ſemine natas.
Ungula craſſa boum a vili jactata macello
Pinguefacit terram, vitalemque ingerit agro
Humorem, unde arbos attollitur ardua, et altos
Producit ramos. Quapropter providus ungues
Congere diſperſas paſſim, quas injice turpi
Infectas vitio intra foveas, unde humor opimus
Foecundabit humum, Moroſque alet ubere pingui,
Quas modo ſubſtitues mortali a peſte peremptis?

Plan-

Digitized by Google

Planta etenim creſcet molles ingreſſa meatus.
Annoſo gaudet ſenio arbos, pluraque crebro
Saecula decurrit, nunquamque negabit avara
Agricolis frondes, ſemper ſed fructibus apta
Ipſa ſuis vivit viridis, frondoſa ſeneſcit,
Et frondoſa itidem moritur: non omnibus una
Arboribus mortis ratio. Infoecunda ſeneſcit,
Et longaeva Olea, et Pomus, ramoſaque Vitis
Aſſuetos paullatim uvarum amittit honores,
Imminuit frondes, morituraque contrahit umbram.
Quapropter ſenio Mororum parce benignus
Fructifero; opportuna tibi; nec inutilis Indis
Vermibus haec pietas; verum foret irrita Pomis,
Vitibus, atque Oleis. Primum natura cuique
Impoſuit nullî revocandas provida leges,
Ortuſque, occaſuſque dies, quas nulla neque aetas,
Aut erit ulla potis longa unquam abolere vetuſtas;
Ac veluti ora ſenum candenti ſquallida barba
Foeda notat macies, et arat triſtiſſima ruga,
Sic rugis cortex Mororum turpis aratur,

Invalidiſque arbos ramis effoeta fatiſcit.
Planta igitur proprium patitur Thisbaeïa caſum,
Jejunoque negans bombyci pabula, nota
Deficit acta gravi morbo, vel ſegnior aevo.
Sufficienda igitur morienti vivida Morus.
Languentem deturbabis radicibus agro
Plantam, quæ, ſolido ſurgat ſi corpore recta,
Haud equidem obſcuris fuerit tradenda caminis;
Sed potius ſerra aſſeribus mordente reſectis,
Atque manu leviter circum, ferroque dolatis,
Dolia conficies oleo, dulcique Lyaeo
Apta reponendo, plenas tuearis ut annos
Ad multos cellas: fragranti ſpirat odore
Haec arbos etenim, et ſero corrumpitur, unde
Cuique eſt apta operi, dociliſque in quamque figuram.
Brachia curva tamen, cruda internodia, ramique
Exigui meliorem alias fornacibus eſcam
Praebebunt, quando deglubes ſtamine vermes
Aurato, unde dabunt nitidiſſima fila tumentes
Folliculi. Stirpes quoque ſi exſiccabis amaras

Pro-

Providus, et pila curabis pinſere ahena,
Ut circum volitent leviores pulvere, febri,
Tempore quae alterno itque, reditque; medebere, pura
Si has miſcebis aqua, vinove, aegriſque bibendas
Ore redundanti praebebis. Flavus Apollo
Talia nos docuit; tanto medicamine noſtrae
Profuit Italiae, haud aliter quam cortice amaro
Donavit populos ultra Gangetica natos
Littora, quem pretioſo auri mercamur acervo.
Hactenus induſtrem curam, morboſque malignos,
Et fructus dixi Mororum, avidoſque colonos
Mutare exiguum magna mercede laborem
Edocui, et dominos campis incumbere avitis,
Dum Mars conmpoſito tandem feliciter orbe
Reſtituit duros ad munera nota colonos.
Optatae fruimur tranquillo pignore pacis.
Sat dubiis Bellona Europam terruit armis,
Auſtriadeſque ſacros Marti, Galloſque minaces,
Atque Boriſtenidas Riphaeo ſidere duros,
Aſſuetoſque armis Svecos jam foedere junctos

Impulit in dites Anglos, pelagoque potentes,
Contraque indomitos armis, forteſque Boruſſos,
Amiſia unde, Albiſque tumens, rapiduſque Viſurgis
Corpora clara virum, peditumque, equitumque catervas
Proſtratas ferro ſpumantibus obruit undis.
Terra, triumphantem immaturo funere Druſum
Quae eripuit, veterum memoravit caſtra Quiritum
Formidata olim Chaucis, rabidiſque Cheruſcis,
Quando Aquilas invicta tuas, Thereſia, vidit;
Magnum illas etenim robur, Te maxima virtus,
Romanis aequat: cum autem Friderice phalanges
Impavidas Generoſe movebas attonita acres
Cenſuit e gelido rediiſſe Aliſone Sicambros,
Fulmineos Catos, Rugios, vetereſque Sidinos,
Quorum ingentem animum, virtutemque Aemulus aequas.
Belligeras foveat lauros, agitatus iniquis
Qui fatis aliena cupit. Lacerata cruento
Marte Europa diu, tandem felicis olivae
Nunc ſtabili fructu, et diuturna pace fruatur,
Funera ſat flevit miſeranda, ſatiſque ruinas,

Et

Et ſatis hoſtilis, patrii ſat ſanguinis hauſit.
Theutonicas acies paribus concurrere turmis
Inter ſe veſana ſatis Bellona coegit.
Dum tot Mars alibi caedes, tot funera ſtravit,
Plena Ceres late campos foecundet apertos,
Unde ſeges victum nobis juſtiſſima fundat,
Bombyceſque eadem Moris, bombycibus urbes
Augeat (haec olim Saturnus ſaecula agebat)
Horrida ſic alii celebrabunt arma, viroſque,
Atque triumphatos populos, et regna ſubacta:
Mi Moros ſat erit cultas dixiſſe colonis,
Et ſterilem docuiſſe agrum, vacuoſque novales,
Arvaque neglecta aſſiduo parere labori,
Bombycumque amplo proventu reddere fructum.
Alma parens frugum campeſtri parce poetae,
Qui gracili Mororum complectens carmine curam
Non nocuit ſegeti. Te Caeſaris inclyta Proles,
Numina Bojaridum cui res augere dederunt,
Et regere imperio populos, et ſceptra tenere,
Te precor interea noſtrum neu ſperne laborem,

 Sit

Sit quamvis tenuis. Si opus exiguum, utilis auſus
Saltem erit, unde alii mea forte exempla ſequuti
Quid majus graviore lyra, Te Principe, dicent:
Nec Maecenatis cupient illuſtria ſaecla:
Illa etenim revehis celſo de vertice Pindi
Romanas revocans Muſas, et Palladis artes
Labentes, Sophiaeque, unde ingenia alta virorum
Indigno aetatis luxu vitiata reſurgant.
Tu illis praeſidium, Tu laus, Tu maxima merces.
Hiſce ſub auſpiciis creſcet praeclara palaeſtra;
Illa palaeſtra viris per te ſapientibus aucta,
Auroque, et titulis cumulata, et honoribus amplis;
Scilicet Europae facta eſt clariſſima toti
Illuſtres inter Socios; et teſſera noſtrum
Nomen habet, citharam quati unde ſuperba Camoena,
Atque vias mecum celſas affectat Olympi.
Egregii ſurgent Socii, quos Gallus, et Anglus,
Quos merito Theuton, Italuſque extollet honore.
Principis inter tot curas, tot pondera rerum
Quandoque ad graciles etiam deſcende Camoenas,

Non

Non etenim facient ingrata Tibi otia Muſae.
Aurea Bojariae interea tua ſaecula vive,
Auguſto ſiquidem virtutes Principe dignas
Ad ſolium elatas laetus mirabitur orbis. 834



Digitized by Google

CARMINUM
LIBER
ALOYSII COMITIS DE MINISCALCHI

PATRICII VERONENSIS.

Digitized by Google

SERENISSIMO

MAXIMILIANO JOSEPHO

BOJARIAE DUCI

S. R. I. ELECTORI &c. &c. &c.

ODE.

AUguſti Soboles inclyta Caeſaris,
„ O et praeſidium, et dulce decus meum „
Si dudum impoſitae ruſtica arundine
Leges arboribus laude tument Tuis
Quaeſita auſpiciis; Hendecaſyllabi
Cur moeſti invideant, atque Elegeiae?
Nunc fuſae illecebris, nunc gravibus modis
Errantes volitant, et cupiunt ſibi
Patronum. Miſeris ut faveas, precor,
Ne fatis pereant triſtibus obrutae.
Sacrabo calamum ſic humilem Tibi,
Argutamque lyram. Siſtite carmina.
Fauſto laetus ero numine, ſi mihi
Princeps adfuerit: nam feriens polum
Forſan egregiis tollar honoribus.

NARCISSO.

ELEGIARUM.

I

Cur Narciſſe tuam nimio deceptus amore
Formam fallaces aſpicis inter aquas?
Ne tibi crede nimis, ne crede fugacibus undis;
Amnis enim nitidus triſtia fata parat.
Auratos crines, malas, oculoſque micantes,
Molliculoſque artus obruet unda rapax.
Flos eris : a teneris, ut flos, tractabere Nymphis,
Sed te ultra fatum non ſinet eſſe virum.
Echo, quam dudum ſpreviſti incautus amantem,
Gaudet, dum tua cum corpore forma perit.
Temnere quos Vir eras auſus, damnabere poſthac
Flos expers ſenſu condecorare ſinus.

In ſunere Marchionis Joannis Baptiſtae Spolverini Socii Philarmonici laudes habitae in Aedibus Philarminicis.

II

CRedideram laeta me poſſe incedere lauro,
Credideram notos promere poſſe jocos;
Haud tamen hic Muſas laurus, ſed moeſta cupreſſus,
Haud nos ludi, ſed carmina moeſta decent.
Ac veluti conjux caro viduata marito
Ululat, et teneras ſolvitur in lacrimas,
Sic nuper nobis ereptum funere acerbo
Ingemit inſignem noſtra Palaeſtra Virum.
Nec potis ipſa gravis curas lenire doloris
A nobis poſcit munera Pieridum,
Munera, quae celebrent digna pro laude Poetam
Illuſtrem, illius et geſta ſuperba canant.
Et merito. Ille etenim moriens ſecum abſtulit una
Flores Muſarum, et delicias Charitum.
O quoties Socii vati plauſere canenti
Digna equidem culto carmina Virgilio.

Queis

Queis ſacra meſſis, adhuc noſtris incognita Muſis,
Clarorum volitat docta per ora Virum.
Extulit ut primum complexam candida meſſis
Carminibus frontem, geſtiit alma Ceres,
Iſis et ipſa ſimul Nili ſeptemplici ab unda
Verſavit laeta carmina culta manu.
Multivagos docuit Vates deducere fontes,
Et lentos curſu cogere in arva pari,
Exiguoque lacu leviter ſubſternere campum,
Suppoſuitque novis legibus Oryzium.
Atque cavo inſtituit de marmore glubere granum,
Jupiter! alpinis candidius nivibus.
Carmina quid memorem? facundia linguae,
Illuſtres artes, ingeniumque ſagax
Vexerunt clarum Vatis ſuper aethera nomen.
Sed pietas morum, Religio in Superos,
Rectique incorruptus amor cinxere Poetae
Inſignes ſerto nobiliore comas.
Felices animae, quarum dum vita manebat
Et Sophiam, et Muſas cura fuit colere

Aeternas inter lauros, ſedeſque beatas
Eximio ſedem cônſtituere Viro.
Parca nefas, praeclarum aliis hunc adde triumphum,
Parca nefas, virtutum omnium amara cinis.
Invida truncaſti pretioſae ſtamina vitae;
Hinc gelido corpus marmore contegitur.
Flebilis explevit ſupremos Praefica honores;
Quid tibi nunc aliud provida fata ſinunt?
Immortalem animam virtus clariſſima Vatis
Jamdudum ad placidos tranſtulit Elyſios,
Scriptaque perpetuam Vatis per ſaecula famam
Diffundent ulla non peritura die.

DELIA.

III.

Di noſtris tandem precibus riſere ſecundi,
Finemque ingratis impoſuere jocis,
Verſantique mihi medio jam turbine amoris
Reſtituere albos, et ſine nube dies.

Quale

Quales apparent, oculis diſcerno colores,
Nec vanis ultro fallor imaginibus.
Foemineos didici ludos, riſuſque doloſos,
Grandia et optatâ vota carere fide.
Ut primo captum ſenſit me Delia amore,
Verba mihi glacie frigidiora dedit.
Tunc veluti lapis obrigui, expreſſique virilis
Roboris irriſo pectore quidquid erat.
Unde mihi alma quies rediit, fortique catenas
Non aptas animo ſuſtinuiſſe pudet.

Laudes Comitis Joannis Baptiſtae Sottovia egregii Timidorum Academiae Mantuanae Socii.

IIII

Mantua compoſitos tandem diſſolve capillos,
De flavo auratam vertice tolle mitram.
Exue faſciolas teretes, et vincta papillas
Luctantes ſtrophio contege funereo.
Denuda molli ſquallentes tegmine ſuras,
Moeſtaque turgidulas ore cie lacrimas.

Min-

Minciades Nymphae, quae olim flevere Maronem,
Flebilibus poſcunt carmina mixta modis.
Egregium vatem precibus mors neſcia flecti
Jamdudum noſtris abſtulit ex oculis,
Omnia quocum urbis perierunt gaudia triſtis,
Et flentes Pindo conticuere Deae.
Proh dolor! illuſtris periit pars magna Palaeſtrae,
Quis veſtrum, Timidi, contineat lacrimas?
Praeclarus vates quoties plaudente corona
Aut coluit Sophia, aut carmine vos aluit.
Ille etenim enucleans naturae arcana, vel ore
Candidulas miſcens carminibus Veneres,
Foemineas aures dulci mulcebat avena,
Eloquioque gravi fortia corda Virum.
Tractare Etruſcam citharam, tractare Latinam
Arguto vates ſueverat ingenio.
Non urbis lacrimae, triſtis non vota Palaeſtrae,
Vatumque aſſiduae non valuere preces.
Pallida, quae cunctos ſimili, mors, funere ſternit,
Immiti Vatem perdidit interitu.

Ille

Ille per Elyſios felicia tempora ducit,
Qua vates promunt carmina digna Deo.
Inter honoratas lauros, hederaſque virentes
Praeclarus vates eminet ante alios.
Manibus egregiis ſummam dum Praefica pompam
Perſolvit, fumat dum ultima flamma rogo,
Mantua compoſitos tandem diſſolve capillos,
De flavo auratam vertice tolle mitram.
Illuſtres cineres pario compone ſepulchro,
Et refer extremas manibus exequias.
Interea, Timidi, gelido haec inſcribite buſto.
Hoc lux virtutum marmore contegitur.

Era il giorno, che al ſol ſi ſcoloraro ec. Petrarca.

Verſio.

V

Moeſta dies aderat, qua ſol ſquallebat Olympo
Divini Artificis funera amara gemens,
Cum formoſa nimis vultu me, laura, petiſti,
Incautumque oculis implicuiſti animum.

Tunc

Tunc temere fretus ſancto moerore diei
  Spernebam Veneris robur, et inſidias.
Undique diſpiciebam audax; cum, vulnere aperto,
  Heu cecidi communem inter amaritiem.
Me pharetratus Amor penitus deprendit inermem,
  Pectuſque indomitis exagitatum oculis,
Qui lacrimis tumidi multos maduere per annos;
  Attamen illi laus nulla, decuſque fuit,
Me crudis miſerum telis laeſiſſe, tibique
  Auctae magnanima vi occuluiſſe manum.

In Feſtum Conceptionis B. M. Virginis.

VI

EXpectata diu nobis Aurora refulſit
  Fulgentem clara luce diem referens.
Hanc Abraham, hanc Moyſes, hanc optavere Prophetae,
  Hanc Superi optarunt, et genus omne hominum.
Juſtitiae facies audacis crimine Patris
  Occiderat, morumque occiderat pietas.

Pan-

Pandebat latrans immania Cerberus ora,
Et coeli ſtabant duro adamante fores.
Arida telluris facies, pallentiaque aſtra,
Nox ſine rore ſilens, et ſine luce dies.
Atra volvebant homines caligine, et orbi
Horridus inſtabat mortis ubique pavor.
Interea Omnipotens noſtrum miſeratus, ab alto
Communem caſum ſidere proſpiciens,
Quae quondam Solymae ſancti cecinere Prophetae,
Promiſſa expleri miſtica conſtituit.
(Nec voces latuere tuae, nec fervida vota,
Unde fatigaſti hanc inclyta Virgo diem)
Mortalem terris confeſtim diſſipat umbram,
Et tenebras circum, et nubila tetra fugat,
Nocturni ſubito coelis ceſſere vapores,
Aſtraque fulſerunt candidiora polo.
Phoſphorus apparet roranti lumine amictus
Venturae lucis nuncius, atque comes.
Tunc ſpes afflictas auxit mortalibus aegris
Vires, erexitque anxia corda hominum.

Albuit in primis, poſthac Aurora refulſit
Patribus optatam progenitura diem
Lilia, narciſſos ſparſit, violaſque, roſaſque,
Suavique aethereas mulſit odore vias
Lucem equidem tantam; flores totidemque venuſtos
Divini decuit ſternere Solis iter.
Jure igitur, tanti Genitrix aurora diei;
Religio vatum te ſine labe canit;
Concordeſque tuis humiles advolvimur aris,
Quod letho erepti vivimus incolumes.
*Vivimus incolumes, quamvis immanis aquarum
Moles Theutonicis montibus, atque Italis
Decurrens nuper magna vi; et pondere nondum
Ullis conſcriptum, jupiter! hiſtoriis
Terruit urbem, Atheſiſque effuſo gurgite victis
Aggeribus coeno. turgidus exiluit
Turre inclinata avulſit, lacrimabile dictu!
Pontem, quaſſavit templa, domoſque furens,
Et mortis faciem oſtentavit ubique, diemque
Supremum. Sed cur triſtia nunc memorem?

* *Poſtrid. Kal. Sept. A. 1757 Atheſis praerumpto aquarum auctu pleraſque Veronae inſulas inundavit, & inclinata Turre marmoreum pontem abſorbuit.*

Me

Me decet exultanti expromere carmina plectro,
Certatimque ſacram concelebrare diem,
Incolumes modo, ſancta Parens, qua veſcimur aura,
Qua fruimur modo, lux, et vigor, omne tuum eſt.
Littoribus noſtris tales averte ruinas,
Aethereaſque tuo numine pande fores;
Ut quae devoto canimus myſteria plectro
Hiſce oculis clare cernere nos liceat.

In Funere
Marchionis Scipionis Maffej.

V I I.

O Decus, o Patriae lux, quo mors te impia cogit,
Curve tuos tantis deſeris in lacrimis?
Siſte, precor, greſſus, miſerans patriumque dolorem
Lethaeo referas gurgite, quaeſo, pedem.
Triſtior ulla dies etenim non luxit Olympo,
Horaque nulla unquam, Scipio, flebilior,
Qua nuper Libitina ferox te funere acerbo
Auſa eſt heu! noſtris abſtrahere ex oculis.

O utinam rurſum vates Rhodopejus adiret

Rapturus Stygiis ſedibus Euridicen!

Ipſe egomet premerem ſacri veſtigia vatis,

Tranſgrederer cupidus nigram Acherontis aquam,

Impoſitumque humeris, ut patrem Troïus Heros

Anchiſen, Erebi e limine te eriperem.

Sed quid vana loquor? non exorabile fatum

Te urget, non Erebum grandia vota movent.

Sic crudae cecinere Deae, cum barbara dudum

Mors tantum nobis ſurda Virum raperet.

Hic igitur mihi Pierides occurrite crinem

Incomptae, atque genas lacrimulis madidae.

De collo veſtes fluitent ſine lege ſolutae,

Pendeat et triſti rauca manu cithara.

Diffugiant riſus noti, luſuſque recedant,

Me luctus modo, me carmina moeſta vocant.

Eſte mihi comites, mecumque ululate, querelis

Noſtra Atheſis reſonent littora flebilibus.

Lux Patriae, Italiae lumen, pars optima Pindi

Maffejus morti, proh dolor! occubuit.

Hinc

Hinc Dryades, et Amadryades, Chariteſque viciſſim
Lugent, eſtinctos ut Niobe pueros.
Moerentes Nymphae celebrant longo ordine laudes,
Egregiique Viri geſta mihi memorant.
Oſtentant docta vectas ex urbe Quirini
Etruſcas Muſas, Arcadioſque choros.
Undique collectos lapides, monumentaque priſcis
Gnaviter huc illuc eruta temporibus.
Aedibus ille Philarmonicis pycnoſtyla ſtruxit,
Quae veteres ſtatuas, quaeque anaglypha tegant.
Thuſcis diſpoſuit, doctiſque inſculpta Pelaſgis
Marmora Romano ſigna reperta foro.
Aere nitent tituli; Pario dei marmore pendent
Vota, atque eximia ſculpta ſepulcra manu.
Religio, veſtes, mores, connubia, leges
Et ludi, choreae, et parta trophoea Viris,
Atque hederae apparent clarorum praemia vatum,
Quidquid et antiquae ſuppleat hiſtoriae.
Saepe humili ſocco, regali ſaepe cothurno
Indutus ſcenas magna equidem docuit.

Comi-

Comicus urbanae irriſit contagia vitae,
Gallorumque modos qui obruerant Latium.
Fortunam Meropis tragicus variam ille theatro
Protulit, et noſtras diſſoluit lacrimas;
Cui pleno plauſere chori clamore, ſimulque
Infandos caſus ingemuit populus.
Barbaricas leges evertit, juraque honoris
Falſa ex Auſoniis urbibus eripuit.
Illuſtres hominum coetus, doctaeque palaeſtrae,
Lipſia, Pariſii, Felſina, et Oxonium
Grandia mirantes divinae munera mentis
Illum praeclaris inſeruit titulis;
Quid palmas memorem, quas illi Aurelia plauſus
Inter communes obtulit Allobrogum?
At mea me nimio duxerunt carbaſa ponto,
Carbaſa vix tenuem lenibus apta vadis:
Audacem revocare gradum nimis aequore vaſto,
Atque ratem cogor reddere littoribus.
Benacique Deae, Charitesque, Atheſiſque, Camoenae,
Atque urbs ſollicitis ora rigat lacrimis;

Jam-

Jamque ſilent citharae, et fletum pro carmine Muſae
Promunt, et reſtat nil, niſi amarities.
Virtutes lugent moeſtae, feretroque ſedentes
Triſtia Maffejo munera perſoluunt.
Extinctum Italiae lumen viduata ſequamur
Muſa igitur luctu, triſtibus et lacrimis.
Grandia qua ſurgunt veterum ſimulacra Virorum,
Marmoreus medio ſurgat et ille foro,
Moribus ut pravis miſere vitiata juventus
Denique ſegnitiem pectore diſcutiat,
Et diſcat, doctis quos reddat Patria honores,
Quos ponat titulos, quae monumenta Viris.

In nuptias Comitis Alexandri Bevilacqua Cum Comitiſſa Margherita Negroboni.

VIII.

Clarior ulla dies vobis non fulſit Olympo,
Horaque nulla unquam candidior, Juvenes,
Pectore qua dudum compreſſos excitat ignes
Finem tot lacrimis impoſitura Venus,

Opta-

Optatoſque toros demum, taedaſque miniſtrat,
Mutua queis facilis vincula rumpat amor,
Caenomanum hic adſint genii, geniique vetuſtae
Urbis, quam noſtri dividit unda Atheſis:
Ipſa aetas adſit magnos viſura Nepotes,
Digna quidem tanti munera conjugii;
Egregiiſque omnes mecum plaudant hymenaeis,
Inſpirentque mihi carmina fuſa jocis,
Dum thalamos, o Sponſe, tuos, tua gaudia, Sponſa,
Concordeſque faces incipiam canere.
Blandus Amor dudum gremio Cypriae Genitricis
Haerebat promens illecebras oculis,
Sollicituſque homines duris agitare ſagittis
Celſis diſpexit ſideribus juvenes
Innuptos huc illuc, innuptaſque puellas,
Intenditque oculos, qua unda fluit rapidi
Mellae, quave Atheſis praeceps agitur decurſu;
Hic patriis Juvenem moribus ingenuum,
Caenomanumque decus luſtravit forte puellam
Illic, non aliis ante cupidinibus

Con-

Contactam, cui pulcra Venus formam addit, honorem
Pallas, cui Charites quidquid amabilius.
Tunc inverſa acie matrem ſic ore locutus.
Quam ſibi belle, iſtae conveniunt animae!
Da mihi, ſupplicibuſque meis precor adnue votis,
Illas praeclaro jungere connubio.
Cui ſic alma Venus: ſubito i, primaſque favillas
Inſere pectoribus: ſic mihi gratus eris.
Dixerat, et natus vento levioribus alis
Libratus tectis labitur aethereis,
Inſtructuſque humeros arcu, pharetraque lacertos
Ibat, corytoque undique clauſa dabant
Spicula tinnitum: occultus velut umbra volabat,
Adductoque arcu conſtitit, atque oculo
Contra Atheſim patrem candenti crine nitentem,
Extendens docta conſcia tela manu:
Percuſſas improviſo ſonitu quatit auras,
Fortemque extemplo corde Virum feriit,
Qui ignarus fati obſtupuit, caſumque volutans
Ambiguum primam ſenſit amaritiem.

Funditus ignotam concepit pectore flammam,
Exarſitque novis fervidior facibus.
Cunctas miſcet Amor venas, imaſque medullas,
Cunctam vulnus mentem occupat, atque animam.
Interea Mellae flavas proceſſit ad oras
Arcitenens pectus Virginis aggrediens;
Jamque illi expanſas confeſtim praebuit alas,
Et teneris flammas oſſibus implicuit.
Expertus juvenis veſtigia amoris adivit
Caenomanos fines, ſic ſua fata ſequens.
Qualis in apricis volucri confoſſa ſagitta
Cerva furit velox aegra trahens latera
Vulnere mortali, et fumanti nigra cruore
Terga, ſalutiferi gramina amata cupit
Dictamni, paſſimque acrem rimatur odorem,
Qui miſeram mortis limine reſtituat;
Vix huc devenit Sponſus, formoſa Puella
Se obtulit, ora gerens Palladis, atque habitum.
Sic pueri Idalii felicia juſſa ferebant,
Sic Mater miris ſe inſinuata modis.

Juſ-

Juſſerat. Ut magnes ferrum cognoſcit anhelum,
    Attrahit atque tenax omne genus chalybum,
Sic Juvenis coepit demiſſis Virginem ocellis
    Compreſſo raros corde movens gemitus.
Illa oculos declinans ſuſpiravit in illum,
    Atque in amore ambo deperiere pares
Prima avidis tandem miſcentes gaudia curis.
    Quas voces dederint, quas lacrimas penitus
Ignoro: Cytheraea Venus, Gnidiuſque Cupido
    Illecebras molles, et lacrimas docuit.
Salvete, o taedis Juvenes felicibus aucti,
    Atque annos ambo vivite Neſtoreos;
Optatas properate ſimul perducere noctes,
    Dum Matri Idaliae gaudia veſtra ſacro.

Hypermneſtrae Tragoedia Nob. Hieronymi Pompei, Soc. Philarm. acta a Nobilibus Matronis, et Nobilibus Viris in aedibus Philarmonicis. A. CIƆIƆCCLXVIII.

VIIII.

ATtica nunc ſtupeant, ſtupeant Thebana theatra,
    Magnum aliquid nobis protulit Italia.

Mitis Hypermneſtrae Vates praeclarus amorem,

Et caſus noſtris exhibuit lacrimis.

Matronae egregiae, egregii cinxere cothurnum

Atque Viri, dignum, Jupiter! Euripide.

In Nuptias.

X

NOx erat, et tardo permittens lumina ſomno

Languida ſecuro membra toro dederam:

Jamque ſoporiferis Morpheus me texerat alis,

Nec vigor heſternus, nec mihi ſenſus erat:

Cum mihi viſus adeſſe accenſis Aetna caminis

Qua furit, et flammas arida terra vomit:

Hic ego Mulciberem vidi, ſocioſque Cyclopas

Crudam fingentes duritiem chalybum:

Immanis Steropes, Brontes, nuduſque Pyracmon

Brachia tractabant dura labore pari.

Hic aurum, chalybenque alii fornace reponunt,

Unde ſimul commixta aera ſoluta fluunt.

Infor-

Informem ſubito calidis incudibus aptant
Maſſam, quae alternis ictibus acta gemit.
Binas deducunt virgas, quas protinus acri
Expoliunt circum, dente, manuque levi.
Hinc Steropes patri Vulcano porrigit arte
Docta opus inceptum: Lemnius inde ſenex
Exacuit trifida fulgentes cuſpide virgas,
Et cuſpis divino ex adamante micat.
Hic Puer Idalius, Vulcani hic adfuit una
Sponſa, Deae crines, os, habitumque gerens.
Ecce meâ, Conjux, perfectas arte ſagittas
Mulciber, ecce, inquit, munera nunc tribuo
Grata tibi: Egregium miratur diva laborem,
Et nequit expleri, et verſat opus manibus:
Pennigero poſthac divellit tergore Nati
Plumas, quas ſummis inſeruit jaculis.
Accipe, care Puer, rapiduſque in nobile vulnus
Munera tanta adhibe. Vix ea fata Venus,
Nec dum viſa mihi in tenues evanuit auras,
Sopitiſque incaſſum hanc ſequor inde oculis.

Fle-

Flectere dum conor dubiam per ſingula mentem,
Excutior ſomno, reſtituorque mihi.
Interea Adriaco tranſvecta ex aequore fama
Huc venit veſtri nuncia conjugii,
Illuſtres ſponſi: reſonat Verona hymenaeis,
Et forti captas dicit amore animas.
Saepe Tonans ignota illudit imagine mentem,
At nos vera tamen ſomnia ſaepe docent.
Augeo nunc igitur communes carmine plauſus,
Concordique cavam pectine pulſo lyram.
Si vos praeclari juvenes celebri arte Cyclopum
Mulciber, et Venus, et dulcis Amor ferit,
Numina tanta precor muteus modo tela catenis,
Quae duplices uno corde animas teneant.
Non peritura adſit thalamo concordia veſtro,
Et vos aeterno foedere jungat Hymen.
Magnanimos properate igitur producere Natos,
Qui virtute pari geſta Patrum memorent.

Adoleſcentulo Leonardo Comiti de Miniſcalchi F. Equiti Hyeroſolymitano degenti in Coll. Brixienſi Comes Aloyſius P.

X I

Nil mihi tu poteras quidquam jucundius unquam
  Scribere, quam junctum carmine epiſtolium:
Sic devincis enim teneri me pignore amoris,
  Et ſimulac dulci munere Pieridum.
Quae tibi ſit vitae ratio, quae cura Palaeſtrae,
  Candidulis Elegos verſibus explicuit.
Ne tamen immodicus muſarum te abſtrahat uſus,
  Curabis libros volvere Socratieos:
Te officiis equidem recte civilibus illi,
  Ingenuiſque ſimul moribus inſtituent.
A patre edoctum te olim haec didiciſſe juvabit,
  Nate, mihi vita carior, atque oculis.
Creditus ut ratibus primum Melitenſibus alti
  Tentabis vaſtas aequoris ire vias,
Sollicita a Matre, a vigili Genitore remotus
  Una aderit virtus duxque, comeſque tibi.

Te

Te haec formabit avis dignum, proaviſque nepotem.
Sic Genti augebis, ſic decus et Patriae;
Sive Equites inter praeclaros otia deges,
Qui inviĉtis praeſunt littoribus Melitae:
Sive triunphandos contra Afros bellica ſigna,
Indomitaſque rates ſtrenuus impuleris.
Non auri pondus virtutem comparat ingens,
Sedulus at mentis, ſollicituſque labor.
Non te nox vigilata igitur deterreat unquam,
Non ſudata dies, ſi cupis eſſe aliquid.
Te fraternus amor, pietas ſanĉtiſſima morum
Dirigat aſſidue, et candida Religio.
Sic virtus creſcentem aetatem fida ſequetur,
Et noſter tecum ſic adoleſcet amor.
Sint haec cum dulci communia carmina Fratre,
Quae vellem, ut concors frater uterque legat.

IN PASSIONEM DOMINI

Habita in Aedibus Philarmonicis III *Id. Febr.*
CIↃIↃCCLXVIIII
Cum primum muſica compoſitio in Hymnum
STABAT MATER
a MAXIMILIANO JOSEPHO BOJARIAE DUCI, S.R.I. ELECTORI &c. &c. &c. docte elaborata, et perhumaniter Academiae Philarmonicae inſcripta audiretur.

XII

Moeſta dies luxit, qua Sol commotus Olympo
    Squalluit, et taciti conſtitit unda maris.
Obriguit tellus, ſiluit natura, et inertes
    Nutanti ſtellae contremuere polo,
Obſtupuitque cohors Superum perculſa dolore
    Divini Artificis funera acerba gemens.
Hanc Abraham, hanc Moyſes, David, vetereſque Prophetae
    Oppreſſi in lacrimis hanc cecinere diem.
At Coeli tandem Chriſtus pia vota peregit,
    Et vanae Patrum non rediere preces.
Ecce hominumque Sator ſummus, rerumque Creator
    Supplicio immiti, proh dolor! occubuit.

Jamque Cruci affixus crudeli vulnere apertum
Oſtendit latus, et membra cruore rigat,
Nec potis ingentes ultra perferre dolores
Divina abrupto corpore vita abiit,
Et ſecum coeli periere, et gaudia terrae
Cuncta ſimul communem inter amaritiem.
Nec dum Adam infelix divino ſanguine rorans
Illacrimas, tua quod detinet oſſa, ſolum?
Inconſulte Parens, tandem tua crimina diſce,
Illa etenim tantae cauſa fuere necis.
Tu vitio primus fregiſti gaudia noſtra,
Unde effuſae homines obruerant lacrimae:
Nunc furit omne nefas totum ſine lege per orbem
Per te, per te Erebi lurida porta patet.
Hic ſanctos mores, hic Religionis honorem,
Virtutum hic nobis dona beata tulit.
Hic moriens, ſummi hic nobis reſeravit Olympi,
Quae dudum ſtabant duro adamante, fores.
Surge Adam infelix: Jeſum venerare peremptum,
Et tua noſce ex his crimina vulneribus.

Nos fletumque tuum ſequimur, gemitumque canentes
    Triſtibus infandam verſibus hiſtoriam.
Vos igitur vates graviori expromite plectro
    Carmina, quae vobis Pieridae dederunt:
Namque parat Magnus regali munere Princeps
    Concentum veſtris reddere carminibus.
Jam mea muſa ſilet divino funere triſtis,
    Et madidam luctu proſilit in faciem.
Oh hominum crudele genus! ſi talia fando
    Irriguis oculos temperet a lacrimis.

Digitized by Google

In Feſtum Conceptionis B. V. MARIAE Phalaeciorum.

I

HIc adſint pueri, precor, tenelli,
Hic adſint tenerae, precor, puellae,
Et ferant manibus liguſtra plenis.
Narciſſis calathos, roſiſque fuſos
Primis, et pede libero viciſſim
Exultent, ſceleriſque corde puro
Integri, labiunculiſque dicant
Hymnos innocuis, ſimulque plaudant.
Nobis illa dies refulget, illa,
Quae dies ſuperat nitore cunctas.
Oriens celebranda Virgo. Virgo,
Quae Verbum gremio tulit ſalutis
Non experta torum, virique tactum,
Sed perſuſa ſinum ſuperni amore
Tantum Spiritus. Illa Virgo Cycnis
Praenitet, nive, lacte, liliiſque

Quo-

Digitized by Google

Quove candidiuſque, pulcriuſque.
Aura purior eſt, et aſtra vincit
Luce. Quas vitio truci parentum
Naſcentes trahimus, nimis miſelli,
Non novit maculas: nitens ſed orta,
Et nitens genita a Parente pura.
At quo me rapit impudenter oeſtrum?
Me leves ſolitum, facetiaſque,
Et nugas canere, et jocos profanos?
Lux tanta implicuit meos ocellos,
Et deſum ipſe egomet mihi, pareſque
Vires tanto oneri, meis vocatae
Incaſſum digitis fides ſileſcunt.
Vos ergo pueri, precor, tenelli,
Vos rurſum tenerae, precor, puellae
Integris labiunculis, pioque
Corde dicite Virginem micanti
Luna, flammigeroque clariorem
Sole. Mi ſat erit ſua rogare
Virginem me ope ſoſpitet miſellum.

Voi che aſcoltate in rime ſparſe il ſuono etc. Petrarca.

Verſio.

II

O Tu, qui numeros legis profuſis
Conſcriptos lacrimis, nimis moleſtam
Eheu pectoris impudentis eſcam,
Cum primis animus furebat annis;
Nunc promens gemitus, modoque verſus
Spe offuſos dubia, et dolore inani.
Si te unquam feriit Cupido, me me
Eriges miſerum, piuſque parces.
Conſcius populum tamen, viroſque
Me illuſiſſe ſatis, leveſque amores,
Tardus afficior meo pudore.
Inſano hoc pretium datur labori
Et taedere, itidemque ſcire, coecos,
Niſi ſomnia nos amare, et umbras.

In mortem Pippi, Canis Veicetini.

III

TE fruſtra lacrimans, Catelle, poſco,
Catelle o Domino magis, magiſque
Care, o delicium puellulorum
Omnium Berici. Tument ocelli,
Squallet luteolus, colorque candens,
Floſculuſque tener tuae juventae.
Non lucent maculae diu nitentes;
Sed extinctus abis, viamque carpis,
Qua fatum vetuit redire quemquam:
Nunc circumvolitas catellulorum
Umbras, perque Stygem vagaris atram.
Heu tu non hilari micans jocabis
Cauda, nec digitos levi incitabis
Morſu, uti facilis prius ſolebas.
Tuam quis vigili fidem latratu
Servabit, dominoque blandietur
Ipſa aura levior latus per omne,

Nunc

Nunc circumſiliens, modoque ludens ?
Flendo turgiduli madent Dianae
Ocelli, nemorumque, et uſque lugent
Nymphae, quae Lepores diu fugaces
Te videre agitantem, aveſque acutis
Dentibus domino tuo ferentem.
Quidnam moeſtus agam ? Sequar ſolutos
Vita nunc cineres, meiſque buſtum
Signabo hendecaſyllabis. Sepulcro
Inſcribam, memorere ut aevo in omni,
Hoſce verſiculos. Ego Catellus
Pippus hic jaceo comes ſequaci,
Et cuſtos Domino fui fidelis:
Celavi ſtudia, illiuſque amores
Secretos : docuique iter quietum
Per mutas tenebras. Miſer peregi,
Vix heu ! tres hyemes : nimis cruenta
Me Atropos rapuit : tene Viator,
Si potes, lacrimas, piumque luctum.

Ad Comitem Willelmum Bevilacqua.

IIII

CUr me tam nitidis tuis, Amice,
Adhuc verſiculis ſinis carere ?
Anne te Dryades, leveſque Fauni,
Moleſti nimium ! a tuis amicis
Sevocant ? Nemoris ſacri receſſus
Fontes, otia ruris, et vireta
Narciſſis variata, liliiſque
Te ſatis tenuere. Me poetam
Doctis virginibus fere relictum
Tu modo recrea lyra ſuavi,
Dejectumque animum procul Camoenis
Erige : ingenium ſopore languens
Excita aonio tuo furore ;
Unde fervidus ipſe dulciori
Avena referam tuos amores,
Artes, et ſtudia, omniumque morum
Quidquid candidius, magiſque blandum
Te ſummo inſeruit choro Dearum.

Digitized by Google

Ad Puellam Monaſticam inſtitutionem amplectentem.

V

UT florem tenerae impotenti amore
Exoptant tenerum ſimul puellae,
Florem, quem Zephyri ſuaviores
Demulcent, tepidique noctis imbres,
Et ros aethere puriore lapſus
Nutrit, quem tepefacta ſole tellus
Mitiore fovet, rigatque ſaxo
Fons manans nitido, fluenſque lenis;
Quo ſepes prohibent malas capellas,
Et morſus pecudum voraciores.
Hunc florem ut tenerae impotenti amore
Exoptant tenerum ſimul puellae;
Sic te faſciolis, amicta duris,
Aſperamque diu ligata virgo
Zonam Rex ſuperum cupit, vocatque
Sponſam. Surge igitur Deo dicanda
Virgo. Candidior tibi refulget

De-

Demum laeta dies : ubique plauſus
Coeleſtes reſonant ; ubique tellus
Exultat ; ſtygis invidique manes
Fruſtra dentibus atterunt catenas ,
Ingentique ululant furore tacti .

Marchionis Scipionis Maffei Socii Philarmonici Effigies .

V I.

MAffei effigiem , diſerte lector ,
Si deſiderio cupis videre ,
Qualemcumque meae mihi Camoenae
Pinxerunt , habeas volo . Cuique
Acceſſu facilis , ſuavis ore ,
Rectus corpore . Non fuit puſillus ,
Non magnus : pedibus celer , leviſque ,
Nobilique habitu perambulabat ,
Et promptus choreis , et aptus armis .
Oblongus facie , labris tumeſcens ,
Quibus ſaepe jocans crebro micabat .
Fuit fronte ſat eleganti , et ampla ,

Et ſupercilio gravi, ſimulque
Jucundo, huc oculos vibrans, et illuc
Igne, et magnanimo decore fuſos.
Haud parvae, haud tumidae fuere nares:
Maſculo rubuit colore vultus,
Quem ſparſere Deae venuſtiore
Riſu, et ambroſia, ſacroque melle.
Virtutes, Patriam, ſimulque amicos
„ Plus quam ſe, atque ſuos amavit omnes „
Crudis dentibus impudentiorum
Fortis ingenio, integraque mente
Se docte eripuit. Gravem veneno
Sic, et invidia fefellit artem.
Maffei en facies, diſerte lector.
Sed quanti fuerit, ſuperba fama,
Et chartae egregiae ſatis monebunt.

Laudes Cynthiae.

VII.

PUlchra Cynthia, Cynthia iſta pulchra,

Iſta

Iſta Cynthia, quae nitore vincit
Coeleſtes Charites, venuſtiuſque
Omne, quod fuit, eſt, eritque ſaeclo,
Divinis oculis micat, geniſque
Floreſcit roſeis, micatque labris
Venuſte rubeo colore fuſis.
Fulget fronte ſat eleganti, et ampla.
Nitet Cynthia clariore crine,
Quem pulcherrima Berenix notandum
Olim ſidere tradidit micanti.
Toto corpore mollior recenti
Lacte te ſuperat, Venus, tenella,
Nilque amabilius quidem ſuperbis
Quondam Dardanius Paris Mycenis
Abduxit. Foret iſta Cynthia, iſta
Pulchrius Priami, ſimulque Trojae
Everſae pretium, decentiorque
Culpa Trojugenis, magiſque clara.

Lau-

Laudes Catellae Mantuanae.

VIII.

Vos nugas ſolitae, facetiaſque,
Et jocos canere, et leves amores,
Muſae, adeſte mihi, precor, ſecundae;
Mi praebete jocos, facetiaſque,
Queis decus Patriae meae Catullus
Olim ſuaviloquo excitatus oeſtro
Dixit delicium ſuae puellae
Paſſerem. Modo me vocat Catella,
Quae cunctas alias nitore vincit,
Et quid candidius Catellularum
Undas Minciades bibit micantes.
Claudit candidulos Catella dentes
Nigris in labiis, caputque tonſis
Ornat auriculis, geritque nares.
Simas, Felſinei ut gerunt Catelli.
Atra luciduli micant ocelli
Fronte. Luteolo colore terga

Ful-

Fulgent, molliculaque pelle toto
Nitet corpore. Recta, et alta eſt,
Nec ceſſat duplici ſinu retortam
Uſque caudam agitare, et uſque. Vocem
Si ſentit Dominae procul petentis,
Neſcit ſtare loco; tremit toroſos
Artus, proſilienſque concitata
Circumquaque fugit, reditque rurſus,
Nec ſtat, ni teneris reſidat ulnis
Dilectae Dominae; cui tenellos
Summis dentibus incitat lacertos,
Et molles digitos, manuſque lingit;
Suis inde jocis, modiſque blandis
Demulcet Dominam, uſque dum (invidenda
Nimis!) millia multa baſiorum
Delibet. Nitidas repente ſi quis
Januas adeat, ſagaciori
Vulpe callidior bene hos, et illos
Noſcit, queis reſerandi, et obſerandi
Poſtes: hos prohibet, trucique cogit

La-

Latratu ultimo abire limine aedis:
Illis unde placet ſatis, ſuaeque
Et placet Dominae! Tui, Catella,
Si luſus Dominae placent, jocique;
Cur non et placeant meaeque nugae?
Has nugas igitur tibi dicatas,
Offeram Dominae, ſimulque plectrum.

In nuptias
Comitis Marci Suardo, et Comitiſſae Mariañae Benaglia.

VIIII.

Quid mei Hendecaſyllabi ſiletis
Adhuc? Ecce faces Hymen miniſtrat,
Et ad cónjugium vocat venuſtam
Sponſam, cui Charites decore vultum
Sparſere, atque animam ſuis Minerva
Afflavit radiis, choro Dearum
Ipſa ceu foret inſerenda ſummo.
Hanc ſponſam Veneres pari marito
Jungunt, et thalamum parant jugalem,

Unde

Unde ambo teneros bibent amores.
Quid mei Hendecaſyllabi ſiletis
Adhuc? Quin properatis expediti
Huc, ubi celebres canunt poetae
Tantum connubium? Eruditus ecce
Doctis artibus, ut meis ſuſurrat
Nunc fama auriculis, Maritus ipſe
Vos quidem accipiet libenter, etſi
Inceſſu Latio audeatis ire.
Etruſcam ille colit bene, ac Latinam
Poeſim. Ite igitur cito canentes
Laudes, quae deceant Virumque tantum,
Sponſamque egregiam: maluſque pulvis
Vos nunquam, tineaeque devorabunt.

In Nuptias
Comitis Joannis Baptiſtae Archii cum Marchioniſſa
Mathilde de Canoſſa.

X

OMnium optime flos Puellularum
Mathildes nitida, et magis diſerta,

Quis laudes referat tuo decore
Pares? ſeu pedibus leves choreas
Ducas, ſeu tumidos premas fugacis
Armos quadrupedis, manuque docta,
Quamvis indocilis pati recuſet
Frenum, prompta regas, citoque curſu
Praevertas Lepores; ſuperba praeda eſt,
Quae tuis manibus cadit perempta,
Victa unde invideat tibi Diana,
Atque Amazonidum cohors vetuſta.
Te morum ingenuus nitor, piuſque
Candor eloquii, venuſtiuſque
Quidquid eſt Charitum, ſuaviuſque
Te miſcet ſupero choro Dearum.
Nymphae Minciadis lacus diſertae,
Quae olim lacrimulis tuam parentem
Deflevere Roſam tui Parentis
Advectam ad thalamum, Roſam venuſtam
Sexus foeminei, ſuaeque Gentis
Immortale decus, modo indecentem

Flu-

Digitized by Google

Fletum contineant. Acerba damna
Tu ſatis reparas: Parentis ipſam
Namque haurire animam tibi dedere
Numina, unde habitum, illiusque vultum,
Inceſſumque refers, pioſque mores.
Sic reddit tua Gens, quod ipſa debet
Mantuæ pretium ſatis decorum.
Non adhuc dubites. Abi venuſta
Sponſa: jam thalamum Venus jugalem
Stravit. Sanctus Hymen quatit micantes
Faces: Mantua te cupit, tibique
Sponſum ex Archiadum exhibet vetuſto
Satum ſanguine, nuptiaſque dignas
Te parat. Famulae liguſtra plenis
Spargunt Idaliae viam caniſtris,
Et tecum comites erunt ubique.
Hymnos dum pueri canent ſequaces,
Atque candidulae ſimul puellae
Cymbala in numerum manu viciſſim
Pulſabunt. Gnidius tibi Cupido

Praemonſtrabit iter, comeſque fidus
Sacro flammeolo comas amictam
Te ducet, placido qua arundinoſus
Lambit Mincius amne flexuoſas
Ripas, atque agitans levi ſuſurro
Undas, ſe in nitidum lacum revolvit:
Belli praeſidium, decuſque pacis,
Unde pulchrior es tuis amicis,
Mantua, hoſtibus et magis timenda.
Quid moraris adhuc venuſta virgo?
Abi. Mater eris, tuumque ſponſum
Patrem tu facies, citoque prolem
Habebis ſpecie, et decore plenam,
Quae mores referat, patriſque avitos,
Et matris ſimul. At polo coruſcus
Laeto naſcitur Heſperus, jubarque
Vobis Idalium explicat; novoque
Nuptis en pueri nuces repoſtas
Clamoſi exagitant, roſaſque ſpargunt.
Salvete, o Juvenes; diu valete.

Lu-

Lucem, Phoſphorus, et diem, rogate, ut
Tardior referat, Venuſque ſancta
Nuptiis faveat, Puerque coecus
Veſtros augeat ipſe amoris ignes.
Salvete o Juvenes: diu valete.
Nil meas aliud decet Camoenas.

Sirmionis Peninſulae Laudes.

X I.

Salve Sirmio, Sirmio beata
Salve. Te cecinit meus Catullus,
Unde diceris inſularum ocellus.
Te olim Lesbia candido beavit
Vultu. Conſcia carminum, atque amorum
Vatis fatidici ſuperba geſtis.
Oſtentas virides ſacros receſſus,
Queis clara Heſperidum vireta vincis.
Tu quidquid Veneres, ſimulque Muſae
Donarunt lepido meo Catullo
Dulcius, graviuſque, laeta nobis

Digitized by Google

Et lares memoras, focoſque ſacros,
Et lapſas veteri domos ruina
Nobis pandis adhuc. Pius vetuſtos
Nunc ego tenerae colo receſſus
Addictos Erato: hic inelegantem
Tibi ſacro lyram, meoſque amores.
Ne pondus leve muneris recuſes,
En pulcherrima Elyſa, quae nitore
Lesbiam ſuperat, Deaſque, et omne
Quidquid eſt Charitum, ſuitque florum.
Haec arguta movet labella, et igne
Vivaces oculos vibrat; lepore,
Et riſu renitet, roſaſque vincit
Pulchritudine. Quidquid eſt virorum
Mulcet roboris, allicitque corda.
Blanda nunc manibus ſuis Elyſa
Tibi, Sirmio, vota noſtra ſolvit.
Jactitare igitur vetuſta pulchrae
Vota deſine Lesbiae; piaris
Clariori etenim, magiſque dulci

Ma-

Digitized by Google

Manu; candidior, ſuaviorque
Unde nulla tibi dies micabit

In Nuptias

XII.

Pulchram pinge mihi, precor, puellam
Vivis, muſa, coloribus; puellam,
Quae vincat Charites, Deaſque flore
Pulchritudinis, et nitore vultus.
Primum pinge comas manu magiſtra
Flavas, molliculas: ſine haſce partim
Liberas volitare ubique, partim
Lento compoſitas jacere nexu.
Frons eburnea ſit, ſerena, laevis.
Neu ſupercilium putes ſecare,
Vel miſcere nimis, levi ſed umbra
Inter ſe cilium coire utrumque.
Flavo palpebra fulgeat nitore:
Vivam materiam miniſtret ignis
Ocellis, Venus, et Minerva formam,

Ut

Ut decus referant, ſimulque amorem.
Naſum pinge, genaſque, queis colorem
Praebeat roſa lacte ſparſa pingui.
Finge ſuaviolum labrum rubore
Fructus puniceos magis, magiſque
Vincens. Molliculum inde finge mentum;
Collum fulgidius ſit unione;
Luctantes ſtrophium premat papillas,
Quas circum volitet venuſtiorum
Quidquid eſt Charitum. Superba membra
Auro contege, purpuraque Coa.
Molles pinge manus ita, ut venuſtam
Totius ſpeciem exprimat puellae.
Hoc mihi ſatis. En venuſta virgo.
At quis ingenium indicet virile,
Ingenteſque animos, gravemque mentem,
Quam tantam dederunt Deae movere
Formam? Si mea muſa non valebis
Tanta dicere, dic. Venus, Minerva,
Pulchrae cedite Virgini. Hanc Deorum

For-

Digitized by Google

Formavit Genitor, viroque dignam
Effinxit, cui jungitur decoro
Tandem connubio, Adriae ſuperbo,
Unde littore geſtiunt puellae,
Et ſpargunt manibus liguſtra plenis.
Ite verſiculi mei invenuſti;
Augete Adriacos ubique plauſus.
Neu incauti tamen audeatis alta
Sponſae limina adire: namque veſtis,
Quam rudes geritis modis latinis
Contextam, vereor, ne amata forſan
Sponſae gaudia, nuptiaſque turbet.

Vincentio Vicario Presbytero Veicetino J. U. D., qui nuptias Auctoris cum Marchioniſſa Octavia Capra cecinit.

XIII.

O Ter illepidi, invenuſtulique
Nunc mei Hendecaſyllabi ocyores
Aura, Bacchilionis ite ad oras

Dilectas nimium, nimiſque caras
Minervae, Uraniaeque, Apollinique.
Summus hic aderit vir, eleganti
Qui verbo, ingenioque perſpicaci
Certum, Jupiter! & laborioſum
Euclidem enucleat, triangulosque
Doctus explicat Archimedis, una
Stellarumque obitus, vagumque ſolis
Iter comperit; aeriſque pondus,
Et coecos maris optime ſcit aeſtus.
Hic plectro feriens lyram latino,
Et promens cithara modos Hetruſca
Belle Virgilium aemulatur ipſum,
Et Petrarcam imitatur elegantem.
Ibi ſiſtite, gratiaſque dignas
Illuſtri referatis, opto, vati,
Quem jam non piguit meas decoro
Verſu dicere nuptias, Viroſque
Tantos ſollicitum excitare, ut oeſtro,
Muſiſque ingenio diu dicato,

Me

Me vatem canerent ter infacetum,
Nulliſque illecebris, jociſque dulcem.

Ad N. V. Vincentium Carolum Comitem Barziza diſcedentem a Veronenſi Praetura.

XIIII.

Plenus Aonidum chorus Sororum
Afflat Pierio meos ſodales
Oeſtro. Calliope lyra, Thalia,
Et Clio calamo, ſuiſque avenis
Singulae reſonant modo canentes
Virtutes animi celebriores,
Quae fidae Sociae Virum ſequuntur,
Qui diſceſſu Atheſim ſuo relinquens,
Fuſam lacrimulis reliquit Urbem.
Cur ergo ſileam ſopore victus?
Vos vos, o Charites, meo Catullo
Dilectae comites venuſtiores,
Et vos, o Dryades, adeſte, quaeſo,
Et deſiderio meo favete:

Lauros ferte citae, roſas, liguſtra,
Et tanto meritam Viro corollam
Mecum nectite, melleoque ineptos
Spargite Hendecaſyllabos lepore.
Quam belle rutilant, & expolite
Artes! Hunc ſtudia, omniumque morum
Quidquid candidiuſque, dulciuſque eſt
Supremo inſeruit choro Deorum.
Aequus namque fuit, ſuumque obivit
Munus tam bene, nos quam amavit omnes.
O duram Nemeſim, o proterva fata!
Heu nos deſeret, & modo ſuperbum
Adriae properabit ire littus.
Greſſus candidula manu fugaces
Detinete, Deae, precor: vetuſta
Urbis Amphitheatra, fluminiſque
Oras, deliciaſque Montis, Hortos,
Et notum nemoris ſacri receſſum
Illius memori locate mente:
Ut cum inter patrii inclytos ſedebit

Se-

Digitized by Google

Senatus Proceres, juvet favore
Noſtra jura, & opes, meoſque ſervet
Cives conſilio, manuque forti.
I nunc Carole, ſed tamen cupit Te
Verona & reducem, ſuique cordis
Nam aufers dimidium, ſuique amoris.

In nuptias N. V. Antonii Ruzzini cum Comitiſſa N. D. Harpalice Manini.

X V.

Nuptias, thalamum, faceſque clamant
Vectae Nereides maris per undas
Leves Adriaci, vocantque Patrem
Neptunum, madidamque Thetidem. Ecce
Neptunus latebris caput profundis
Amphitrite oculos refert ſerena,
Completque aera plauſibus, tibique,
Harpalix, meritum parant maritum.
Illi cum bene noverint futurum,
Ut praeſens, tabulis arata coecis

Clare fata legunt, tuoſque longo
Cenſent ordine filios aviti
Haeredes decoris: vident dicatos
Minervae pueros, feroque Marti,
Qui Nepotibus explicata docti
Mandent geſta patrum, manuque forti
Tutentur patriam, regantque miti
Gentes imperio, modiſque blandis.
At dum Nereides fretum natantes
Nuptias, thalamum, faceſque clamant,
Formoſae Dryades meas per oras
Nuptias, thalamum, faceſque paſſim
Reſpondent. Violas, roſaſque primas
Legunt vere novo, et manu caniſtra
Parant plena tibi, Harpalix venuſta,
Et fronti ſtatuunt tuae corollas.
Nuptias Atheſis, faceſque ſentit
Certatim; ille Atheſis Pater, tenellas
Qui voces, lacrymaſque primus hauſit,
Vagituſque tuos, ubi decora

Te Parens peperit Viro jugata.
Viro, qui facilis regebat urbis
Habenas, populoque jura ſuavis
Dabat. Magnanimi memor Parentis
Rarus canitie tuo, Puella,
Gaudet connubio ſenex, dieſque
Promittit placidos, ſimulque longam
Aetatem, pueroſque perpolitos
Bonis moribus, artibuſque doctis.
At, ſponſi, interea precor ſecundis
Gaudete auguriis: amoris umbras
Conſcias properate mox adire,
Et chorus Dryadum, mariſque Nymphae
Sint vobis comites, venuſtiuſque
Quidquid eſt Charitum favore vobis
Adſit, dum Veneri, Cupidinique
Noctis gaudia laeta ſacro veſtrae,
Atque Apollineo furore raptus
Nuptias thalamum, faceſque clamo.

Ado-

Adoleſcentulo Angelo Comiti de Miniſcalchi F. Equiti Hieroſolymitano degenti in Collegio Brixienſi
Comes Aloyſius P.

XVI

ETſi me vigilem ſatis Parentem
Sex Nati, & quatuor ſimul Puellae
Jupiter! faciant, gravemque curis,
Non adhuc tamen a novem Sororum
Me abſtraxere choris. Apollo flavus
Nondum Caſtaliis ſitim levare
Me lymphis vetuit. Sacros receſſus
Quandoque Aonidum frequento, ut ipſe
Poſthac vividior queam ſubire
Abrupta officia optimi Parentis.
Interdum tamen improbo labore,
Et curis agitata mens fatiſcit,
Et defeſſa manus movere plectrum,
Et molli refugit vocare avena
Muſas. Me teneris modo jacentem

Tuis

Tuis verſibus erigis, ſimulque
Intimas recreas mihi medullas,
Quod te Socratis inter officinam
Verſantem audio, & optimis vacantem
Praeceptis Sophiae, unde Solis orbem,
Stellarumque iter, & vagos labores
Lunae comperis. Oh meis ocellis
Nate amabilior, meaque vita,
Incepto inſta operi, ſcientiiſque
Totum intende animum. Horridae latentes
Sic Syrtes Lybiae, mariſque certos
Aeſtus percipies, viaſque apertas
Noſces Oceani, polique fixa
Aſtra, cum Meliten ſium carinas
Inter velivolas ſecabis aequor,
Atque foedifragos timenda in Afros
Arma compuleris. Meis ocellis
Nate amabilior, meaque vita,
Te non alliciant leves juventae
Mores, deſidia, otioque turpes;

Sic

Sic quando Vir eris, ſenexque tardus
Olim te puerum fuiſſe nunquam
Pigebit. Celeres juventa fervens
Eheu labitur in dies, fugitque
Votis non revocanda. Dum virentis
Aevi tempus agis, precor tenellum
In virtutem animum reflecte ſolers,
Et pectus, docilemque ſueſce mentem
Nunc ad fortia. Sic eques, eriſque
Miles ſtrenuus, optimuſque civis,
Et laetum facies tuum Parentem.

FINIS.

MAG 2023066

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google